INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

QUAS

IN USUM AUDITORUM SUORUM

COMPOSUIT

FRANCISCUS IAVARONE

IN REGIO ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO THEOLOGIAE DOGMATICAE PROFESSOR, ACADEMIAE HERCULANENSIS ARCHAEOLOGIAE SOCIUS ORDINARIUS, HERCULANENSIUM VOLUMINUM INTERPRES.

TOM. II.

NEAPOLI,

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

CIƆIƆCCCXXIV.

DE
LOCIS THEOLOGICIS.

INDEX

AUCTORUM, QUI DE LOCIS THEOLOGICIS COPIOSIUS DISSERUERUNT.

DE SACRA SCRIPTURA.

I.

PRO DEMONSTRANDA LIBRORUM SACRORUM DIVINA INSPIRATIONE.

Albertus Pius contra haereticos.
Robertus Bellarminus Controv. T. I.
Antonius Sanderus de Scripturae reverentia apud Catholicos, et contemptu apud haereticos.
Alphonsus Salmeron in Prolegomenis contentis T. I. operum.
Ioannes Driedo in Libris IV. Isagogicis de Ecclesiasticis Scripturis.
Ioannes Martianay de Veritate, et inspiratione librorum Sacrae Scripturae.
Richardus Simon de inspiratione Sacrorum Codicum.
Bossuetus in Dissertatione de Libris Deutero-Canonicis.

Natal. Alexander inter Dissertationes in Vetus, et Novum Testamentum edit. Roncaglia.
Franciscus Silvius de Sacra Scriptura, de Libri deutero-canonicis etc.
L'Abbé Clemence Refutation de la Bible enfi expliquée.
* Iacquelot sur l'inspiration des Livres Sacrés.
Histoire des Auteurs sacrés, et Ecclesiastiques par Dom Remi Ceillier.
Du-Clot la Bible Vengée.

II.

DE PRIMIGENII TEXTUS INTEGRITATE, VARIISQUE VERSIONIBUS.

S. Hieronymi Quaestiones Hebraicae in Genesim.
Bibliotheca Sacra Patris Le Long.
Inter Dissertationes Ecclesiasticas Natalis Alexand Dissertatio XI. ad secundum Ecclesiae saeculun
Prolegomena in Scripturam Sacram, et Praefation in varios Scripturae libros auctore Carolo Houbgant.
* Dupin, Dissertations sur la Bible.
* Prideaux, Dissertat. sur la version des LXX dar *l'Histoire des Juifs*.
Titres primitifs de la Révélation, par le P. Fabric
Angelus Caninius de Locis Hebraicis

Antonius Nebrissensis in Quinquagena.
Ioannes Morinus in Exercitationibus,
Humphridus Hodius de Textibus. S. S.
Iacobus Gretserus pro Bellarmino Lib. II.
* Waltonius in Prolegomenis.
Auctor dissertationum in Waltonii Prolegomena.
Antonius a Matre Dei in Praeludiis Isagogicis.

III.

PRO SACRIS LIBRIS INTELLIGENDIS.

S. Chrysostomi Commentaria in vetus, et novum Testamentum.
S. Hieronymi Commentaria in Sacrae Scripturae libros, cum praefationibus.
S. Augustinus in Psalmos, et in Ioannem, de Doctrina Christiana, de Consensu Evangelistarum, de Genesi ad Litteram, etc.
S. Gregorii Magni Expositio moralis in Librum Iob.
S. Bernardus in Cantica.
Catena aurea S. Thomae, et illius Commentaria in Paulum.
Menochii Commentaria in Scripturam.
Vatabli Adnotationes.
Bellarminus in Psalmos.
Iansenius in Evangelia.
Estius in Epistolas S. Pauli, et in loca difficiliora Scripturae.

Fromondus in Epistolas S. Pauli, ec.
De Muis in Psalmos.
Bellenger in Psalmos.
Maldonatus in Evangelia
Piconii triplex Expositio Evangelia, et in Paulum.
Regles pour l'intelligence de l'Ecriture Sainte.
Explication de Duguet sur la Genese, les Rois Iob, les Pseaumes, le Livre de la Sagesse.
Petrus Galatinus in Arcanis Catholicae veritatis.
S. Isidori Pelusiotae Epistolae
Cassiodorus in Institutionibus divinarum lectionum et Commentariis.
Iacobus Bonfrerius *in Onomastico.*
Guillelmus Lindanus de optimo genere interpretandi Scripturam.
Bernardus Lamy in Apparatu Biblico.
Bossuetus in Psalmos, et Libros Salomonis, cum Dissertatione, et Praefationibus.
Prefaces du même Auteur sur l'explication de l'Apocalypse.
Commentaires de Dom-Augustin Calmet sur toute la Bible; ses Dissertations, et ses Praefaces sur ses Commentaires.
Cornelius a Lapide in S. Scripturam.
Lorinus in Psalmos.
Pineda in Iob.

IV.

PRO SCRIPTURAE SACRAE LECTIONE COMMENDANDA.

S. Chrysostomi Homilia III. de Lazaro. Homilia II. in Matth. Homil. IX. in Epist. ad Colos. et Sermo de utilitate lectionis Scripturae.

Divi Hieronymi Epistolae 47. 57. 86. 97. 98.

S. Augustini Libri de Vera Religione, de Utilitate credendi, de Genesi ad literam, et Sermo LXXXV.

S. Gregorii Magni Epistola ad S. Leandrum, Praefatio libri Moral. et Homilia III. in Ezechielem.

Tractatus de lectione Scripturarum, in quo Protestantium eas legendi praxis refellitur, Catholicorum vero stabilitur. Embricae 1677. in 12. Cum Dissertat. de interprete Scripturarum.

Traité de la lecture de l' Ecriture Sainte contre celui de M. Mallet.

Cherubinus a Sancto Iosepho *in Bibliotheca Criticae Sacrae.*

Ioannes Costerius *in Declamatione in Sanctarum litterarum laudem.*

Ioannis Hagen *in Prolegom. super Biblia* de Commendatione Sacrae Scripturae: de multiplici sensu, etc.

Robertus Holkoth de Studio Sacrae Scripturae.

Antonius Sanderus in Vindiciis Biblicis.

DE TRADITIONIS, ET PATRUM AUCTORITATE.

S. Polycarpi Epistola ad Philippenses.
S. Irenaeus adversus haereses.
Tertullianus de Praescriptionibus.
Vincentii Lirinensis Commonitorium.
Bellarminus de Verbo Dei non scripto.
Walembourg de Methodo probandae fidei per testes.
Perpétuité de la foi, tom 6. art. de la Tradition.
Défense de la Tradition, et des Saints Pères, par Bossuet.
Dom Remi Cellier Histoire des Auteurs Sacrés, et Ecclesiastiques.
* Matthaeus Scrivenerius in Apologia pro SS. Patribus adversus Dallaeum.
Petrus Thomas Santabarbara Critice Apologetica Veterum Ecclesiae Patrum.
Liberatus Fassonius de Morali Patrum doctrina.
Et alii supra memorati, ubi de Locis Theologicis generatim.

DE ECCLESIA.

S. Ignatii Martyris Epistolae.
S. Irenaeus adversus haereses.
S. Cyprianus de unitate Ecclesiae.
S. Optati Milevitani Lib. II. contra Parmenianum.

S. August. contra Donatistas, in primis contra Parmenianum, contra Gaudentium, contra Litteras Petil. contra Cresconium, et de Unitate. Eccl.

Melchior Canus in Libro *de Locis Theologicis*.

Walembourg de unitate Ecclesiae, et de notis Ecclesiae.

Holden Analysis Fidei.

Fidei Catholicae regula, Auctore Francisco Veronio.

Traité de la Mission par du Perron.

Thomassin de l' unité de l' Eglise, et de la discipline de l' Eglise.

Bossuet, Instructions sur les Promesses; Conférence avec le Ministre Claude.

Traité de l'Infallibilité de l'Église par Mr. l'Abbé de Cordemoi.

La regle de la foi vengée des calomnies des Protestans, par le P. Hayer.

Thomas Bosius de Signis Ecclesiae.

Godefridi a Driel Antipericope Disputationis III.

Fran. Agricola de Privilegiis, et Signis Ecclesiae.

Petrus Cunerus Vera Christi Ecclesiae designatio.

Ioannes Capetius de Vera Christi Ecclesia.

Ioannes Lensleus de una Christi in terris Ecclesia.

Stanislaus Socolovius de verae, et falsae Ecclesiae discrimine.

Honoratus Tournely de Ecclesia.

Isidorus Mosconius de Maiestate militantis Ecclesiae.

Martinus Becanus de Antichristo reformato.
Gotti La vera Chiesa.
Valsecchi la Religion Vincitrice.

DE CONCILIIS.

Sacrosancta Concilia collecta a Labbaeo, Go:
Coletio, Mansio, Passionaeo.
* Panormitanus de Concilio Basileensi.
Iacobatius De Conciliis.
Salmon Traité des Conciles.
* Edmundus Richerius Historia Conciliorum.
Fleury Histoire Ecclesiastique.
Ceillier Histoire des Auteurs Ecclesiastiques.
Natalis Alexander-Historia Ecclesiastica edit:
caglia.
Cabassutii Notitia Conciliorum.
Christianus Lupus.
Pallavicino Storia del Concilio di Trento.

DE ROMANO PONTIFICE.

S. Anselmi Defensio S. Gregorii VII.
Hieronymus Donatus de Primatu Sedis Rom:
Abate Foppoli Trattenimenti.
Abrahamus Bzovius Romanus Pontifex.
Augustinus Perricca de Appellatione omnium
clesiarum ad S. Petri Cathedram.

Christianus Lupus de Appellationibus ad Sedem Romanam.
* Henrici VIII. Regis. De Primatu Papae.
Dominicus Segneri in Opere Dei Admirabilis.
Franciscus Agricola de Primatu Petri.
Franciscus Penia de Regno Christi.
Caryophili Confutatio Nili.
Ludovicus Thomassinus Dissertationes in Concilia.
Onuphrius Panvinius contra Centuriatores.
Robertus Bellarminus de Potestate Summi Pontificis.
Stanislaus Hosius in Epistolis.
Le Maistre du Pape.

DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

S. Cypriani Epistola ad Cornelium.
Epistola Synodica septimi Concilii Carthaginensis ad S. Caelestinum Papam.
S. Bernardi liber tertius de Consideratione.
Cardinalis Cusa Concordantia Catholica.
* Panormitanus de Concilio Basilcensi.
Iacobatius de Conciliis.
* Liber de Ecclesiastica, et Politica Potestate. Paris. an. 1611. et 1629
* Eclaircissemens sur les Conciles généraux.
* Histoire des Conciles de Pise, de Constance, et de Basle, par Lenfant.

* De Marca de Concordia Sacerdotii , et Imperii.

* Doctrine Chretienne par Dupin ;

Discours sur l'Histoire Ecclesiastique, par Fleury *excepto tamen nono sermone* de Libert. Eccl. Gall. *qui proscriptus est.*

Domo d'Ossolo della Gerarchia Ecclesiastica.

PRO COMPARANDA DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE NOTITIA.

Discipline ancienne et nouvelle , par Thomassin; ou Abregé de cet ouvrage par d'Hericourt.

Hermant , Clavis disciplinae Ecclesiasticae , seu Index totius Iuris Ecclesiastici.

* Dupin antiqua Ecclesiae disciplina.

Azevedo Dissertationes.

Zachariae Opera.

Cardinalis Thomasii Opera.

Macri Hierolexicon.

DE

LOCIS THEOLOGICIS.

CAPUT I.

Loci Theologici definiuntur, atque in suas classes dividuntur.

§. I. *Locos Theologicos* vulgo definiunt *fontes vel sedes, ac veluti promptuaria et domicilia quaedam, ex quibus Theologus revelatam doctrinam, atque argumenta, quibus illa demonstratur, haurit, vel depromit*; quam quidem definitionem ex Rhetoricis mutuantur Theologi; topicam enim suam Rhetores habent, locos scilicet communes, ut ipsi appellant, unde argumenta ad suas theses comprobandas desumant (1). Ut

(1) Ad rem Melchior Canus: *Quemadmodum Aristoteles in Topicis proposuit communes locos,*

vero quomodo loci Theologici, veluti f
ac domicilia quaedam argumentorum, r
latis veritatibus demonstrandis inservian
cte intelligatur, animadvertendum est, T
logum, quum propositio aliqua revelata
demonstranda sit, principia quaedam p
cularia statuere, quibus ea comprobetu
principia haec particularia illi tantum
positioni confirmandae accommodata, ac
neralia quaedam, e quibus firmitatem
trahunt, reducuntur. Eiusmodi autem p
cipia universalia ad locorum Theologic
rectam cognitionem, et intelligentiam,
non ad proprium eorum usum ducunt.
mirum, ut exemplo res clarior fiat,

---

*quasi argumentorum sedes et notas, ex q
omnis argumentatio ad omnem disputatione
veniretur, sic nos peculiares quosdam Theol
locos proponimus, tamquam domicilia om
argumentorum Theologiae, ex quibus Th
omnes suas argumentationes, sive ad confirman
sive ad refellendum inveniant.* De Locis Thel
Lib. I. Cap. ult.

bum esse Deum illa Ioannis sententia : *Hic est verus Deus , et vita aeterna* I. Ioan. v. 20. demonstrat Theologus. Sententia haec, quae peculiare principium divinae Verbi naturae demonstrandae accommodatum constituit, ex universali principio, Scripturam nempe, cuius particula est illa sententia, divinam esse , Deo scilicet inspirante conscriptam, vim suam trahit. Scripturae autem θεοπνευστία, *divina inspiratio*, ad rectam huius loci Theologici, quem Scripturam appellamus, intelligentiam, propriumque eius usum nos ducit.

§. II. Decem passim enumerantur loci Theologici, scilicet *Sacra Scriptura , Traditio divina , Ecclesiae catholicae auctoritas , Oecumenicorum Conciliorum definitiones , summi Pontificis decisiones dogmaticae , Patres , Theologi , Ratio , Philosophia , Historia.* At si germanam locorum Theologicorum notionem animadvertamus , tales iure meritoque appellandi non sunt , nisi Scriptura , Traditio , Patres , Catholica Ecclesia , Concilia , et , omnium pene Theologorum iudicio , Romani Pontificis Defi-

nitio *ex cathedra* (1). Dogma enim pı Theologorum sententia, aut ratione, Philosophia, aut Historia confirmari quidem non potest. Illi ergo propria ra

(1) Qui propria ratione loci Theologici nantur, non immerito ad unum revocari pos nempe ad *Verbum Dei a Catholica Ecclesia positum*; vel si mavis ad duo, scilicet ad ve Dei scriptum, et ore traditum, utrumque Ca cae Ecclesiae custodiendum, proponendum, exp dum a Deo ipso commissum. Ad Ecclesiam na Catholicam reducuntur Patres, quos verbi sı plicatores, ac defensores in illa excitavit Concilia universalia, in quibus ad fidem expl dam, et propugnandam colliguntur pastores, his verbi sui docendi partes demandaverit stus; summus denique Pontifex, quippe qui Catholicae Ecclesiae Caput, omnibus pene The consentientibus, in fide confirmanda falli non Nimirum duo hi loci Theologici, qui sunt omnium compendia, exhibere mihi videtur Lı sis, quando sic loquitur: *Saepe igitur magn dio, et summa attentione perquirens a q plurimis sanctitate et doctrina praestantibus*

loci Theologici nominari possunt: hi vero nonnisi impropria, quatenus nempe ad argumenta, quae ex primis sumuntur, magis magisque explicanda, atque Adversariorum obiecta penitus diluenda Theologum adiuvant.

---

quonam modo possim certa quadam, et quasi generali, ac regulari via, Catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere; huiusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli: Quod sive ego, sive quis alius vellet exsurgentium haereticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, et in fide sana sanus, atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adiuvante, deberet; primo scilicet Divinae legis auctoritate, tum deinde Ecclesiae Catholicae traditione. Commonit. I.

CAPUT II.

Quid Fides circa Locos Theologicos doce quid contra fidem blasphemet haere exponitur.

§. I. Quae circa locos Theologicos ad dem pertinent, haec sunt.

De Sacra Scriptura.

I. Libri, qui in Ecclesiae Catholicae none continentur, integri cum omnibus partibus, pro sacris et Canonicis recipie sunt.

II. Sacrarum Scripturarum Canonem c ponendi facultatem non privatus spiritus, Catholica Ecclesia habet.

De Traditione.

III. Verbum Dei non complectitur Scriptura; sed praeter Scripuram existit

vina Traditio, quae verbum Dei non scriptum, seu ore traditum continet.

De Ecclesia (1).

IV. Ecclesia catholica non ex solis praedestinatis constat: immo aliqui sunt praedestinati, qui nondum ad Catholicam Ecclesiam pertinent.

V. Ecclesiae membra sunt non iusti tantum sed etiam peccatores vel scelestissimi.

VI. Vera Christi Ecclesia *Una*, *Sancta*, *Catholica*, *Apostolica* est.

---

(1) Quum de Ecclesia loquimur, quatuor consideranda sunt; primo scilicet, quibus constet membris mysticum Christi corpus; secundo, quibus notis vera Ecclesia a falsis discernatur; tertio, quibus dotibus fuerit à Christo ornata; quarto demum, quomodo in sola catholica Ecclesia salus aeterna obtineri possit. Primum ostendunt IV. et V. propositio; secundum VI.; tertium reliquae quatuor; quartum denique postrema, quae XI. est.

VII. Vera Christi Ecclesia a falsis dis
potest, utpote visibilis.

VIII. Visibilis Christi Ecclesia de
non potest.

IX. Ecclesia, cui docendi munus Ch
imposuit, sive per Orbem dispersa,
simul coacta, in iis quae ad Fidem, et
spectant proponendis, vel definiendis,
non potest.

X. Legitimus, et *infallibilis* verbi
tum scripti, tum ore traditi interpres,
controversiarum, quae circa fidem, et
occurrunt, iudex; non privatus cuiusqu
ritus, sed Catholica Ecclesia est.

XI. In sola Catholica Ecclesia obtineri
test aeterna salus.

De Conciliis.

XII. Oecumenica Concilia in iis, qua
fidem, et mores pertinent, definiendis e
non possunt.

De Romano Pontifice.

XIII. Romanus Pontifex institutione divina *primatum* habet non honoris tantum, sed etiam iurisdictionis. Eiusdem Romani Pontificis definitiones *ex cathedra*, omnium pene Theologorum consensu, infallibiles sunt; etsi hoc expresse non definiverit Catholica Ecclesia.

De Patribus.

XIV. Quod Patres ad fidem pertinere uno ore docent, contrarium ut haereticum reprobantes, dogma Catholicum est.

§. II. Haeretici vero, praesertim pseudo-Reformati, unum tantum locum Theologicum recipiunt, Sacram nempe Scripturam, sed in sacrorum librorum numero determinando nec ipsi inter se conveniunt, ut ex iis, quae de Scripturarum Canone dicturi sumus, infra patebit (1). Divinam igitur

(1) Perpetuus fuit haereticorum mos divinam

Traditionem, et Catholicae Ecclesiae
λειαν, *infallibilitatem* omnino reiicere
enim ipsam per se Sacram Scriptur
rebus ad aeternam salutem necessario
scendis, omnibus vel indoctis ac rudil
ram esse, atque apertam; quum on
eam intelligendam gratia illa adiuvet.
Claudius *radium Spiritus Sancti*,
vero *sensum*, *gustum interiorem* a
Quamobrem nec Patrum, nec Concilio
cumenicorum, nec summorum Pontific
ctoritatem recognoscunt. Omnes vero
Scripturae libros omni ex parte, D
spirante, fuisse conscriptos negavit G
qui eiusmodi non fuisse libros historic
natur; necnon Erasmus, Ludovicus C
lus, atque alii, qui non pauca proprio
a librorum illorum scriptoribus co
censent.

Traditionem, et Ecclesiae Catholicae auct
reiiciendi, ut Sacrae Scripturae dictis ad
errores defendendos facilius abuti possent.

Praeterea ut suam a Catholica Ecclesia defectionem occultarent, Ecclesiam ex iis tantum constare, qui ab omni prorsus peccato immunes essent, contendebant Pelagiani, teste S. Aug. Haeres. LXXXVIII. Donatistae vero iis, qui a gravioribus saltem sceleribus abstinuissent; Lutherani, et Calvinistae demum ex solis, iustis ac praedestinatis. Quod autem ad Ecclesiae notas, ex doctrinae veritate, et legitimo Sacramentorum usu Ecclesiam esse discernendam docuit Confessio Augustana. Art. IX. et Calvinus Inst. Lib. IV. cap. I. Porro *invisibilem* aliquando, et latentem fuisse Ecclesiam, ita ut pauci, iique occulti veram fidem profiterentur, ceteris omnibus palam in errorem abeuntibus, delirarunt Lutheri, et Calvini sectatores. Denique contra Romani Pontificis auctoritatem pene omnes furunt, et bacchantur haeretici, variisque probris, et maledictis Ecclesiae caput vexant, quae referre pudet, ac taedet.

Caput III.

Catholica doctrina iam proposita comprobatur, atque exploduntur haereses.

Caput hoc, ne propositionum multiplex varietas confusionem gignat, in plures sectiones dividimus.

Sectio I.

De Sacra Scriptura.

Sacram Scripturam appellamus libros, qui verbum Dei, Deo ipso inspirante, scriptum complectuntur, utque tales ab Ecclesia nobis exhibentur. Deus vero inspirare dicitur, quum ad aliquid scribendum impellit, atque scribentis mentem ita dirigit, ut quid sit scribendum, quid vero omittendum, aperte intelligat. Porro, ut quaenam sit propria *inspirationis* natura, facile cognoscatur, notandum est illam stricte sumptam a *revelatione*, et ab

adsistentia distingui. *Revelatio* enim proprie est veritatis ignotae subita, seu *immediata* manifestatio, quando nempe menti veritatem aliquam prorsus incognitam repente indicat Deus. *Adsistentia* vero auxilium est, quo mentem, dum veritatem inquirit, tali modo adiuvat Deus, ut veritatem ipsam sine ullo errandi periculo adsequatur. Igitur ad *inspirationem* constituendam non sufficit nuda, et simplex adsistentia; nam etsi mentem, ut nonnisi veritatem in his quae scribuntur doceat, adiuvet Deus, illam tamen ad scribendum non impellit, ideoque non *inspirat.* Nec semper requiritur *revelatio*; quando enim menti iam notum est id, quod litteris mandari Deus vult, mentem ipsam nihilominus ad scribendum impellit Deus, atque illi id omnino, quod scribi vult, ita repraesentat, ut nullo modo a veritate aberret. Quamobrem ad *inspirationis* naturam definiendam duo proprie requiruntur, nempe *impulsus ad scribendum, et in scribendo adsistentia.*

*

Propositio I.

Sacrarum Scripturarum libri, qui in Ecclesiae Catholicae Canone continentur, integri cum omnibus suis partibus pro sacris, et canonicis recipiendi sunt.

Prob. I. Quum propositio haec adversus eos, qui sacros libros, etsi non omnes, nec omni ex parte Deo inspirante conscriptos, admittunt, nobis demonstranda sit; propositionem ipsam illis Scripturarum testimoniis, quae adversarii non inficiantur, confirmare licebit. Inquit igitur Paulus: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* II. Tim. III. 16. Quorum verborum vim ad hanc propositionem demonstrandam, si in eo quo scripta fuerunt sermone legantur, nullo negotio quisque intelliget: sic enim ea exhibet Graecus textus: πασα γραφη θεοπνευστος, και ωφελιμος προς διδασκαλιαν κ. τ. λ. *Omnis*

Scriptura divinitus inspirata, et utilis (est) *ad doctrinam* ec. Ad eandem veritatem confirmandam haec Scripturarum dicta simul colligunt Theologi: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines.* II. Petr. I. 20. 21. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Ioan. XIV. 26. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Matth. X. 20. *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per revelationem Iesu Christi* I. Gal. I. 12. *An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus?* II. Corinth. XIII. 3. *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam quum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum*

hominum; *sed sicut est vere*, *verbum Dei* I. Thessal. II. 13. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus*, *sed spiritum, qui ex Deo est*, *ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis : quae et loquimur*, *non in doctis humanae sapientiae verbis*, *sed in doctrina Spiritus*, *spiritualibus spiritualia comparantes*....... *Spiritualis autem iudicat omnia* ...... *Quis enim cognovit sensum Domini*, *qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus*. I. Corinth. II. 12. et seqq.

Prob. II. ex Patribus, qui quum de Sacra Scriptura loquuntur, nunquam inter hunc vel illum librum, hanc vel illam libri partem distinguunt; sed eam, quanta quanta est, Deo inspirante conscriptam omnino affirmant. Sic enim loquitur S. Irenaeus: *Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei*, *et Spiritu eius dictae*. Lib. II. cont. haereses cap. XXVIII. n. 2. S. Augustinus vero: *Et de illa Civitate*, *unde peregrinamur*, *literae nobis venerunt, ipsae sunt Scripturae, quae nos hortantur, ut bene vivamus*. Serm. II. in

Psal. XC. n. 1. Porro Chrysostomus: *Quasi longe absentibus literas* (Sacram Scripturam) *mittit, conciliaturus sibi universam hominum, naturam. Et has quidem literas dedit Deus, attulit autem Moses.* Hom. II. in Genes. n. 2. Magnus denique Gregorius: *Quid est autem Sacra Scriptura, nisi quaedam epistola Omnipotentis Dei ad creaturam suam?* Lib. IV. Epi. XXXI. ad Theodorum Medicum (1).

Probatur III. ratione Theologica. Si qua ex partè Sacra Scriptura, non Deo inspirante, sed proprio marte ab homine scripta fuerit, nulla tunc erit Scripturae pars, de qua hoc dici nequeat; quapropter tota Scripturae divina auctoritas vacillabit. *Admisso namque,* apposite Augustinus, *semel in tantum auctoritatis fastigium* (in Sacram nempe Scripturam) *officioso aliquo mendacio*

(1) Alia Patrum testimonia non pauca, ubi etiam Sacrae Scripturae verba a Dèo inspirata fuisse demonstrabimus, afferemus.

nulla illorum librorum particula remanebit, quae non, utcumque videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium, officiumque referatur. Epist. VIII. n.

Probatur. IV. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim catholicam doctrinam definivit Tridentina Synodus: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris, et canonicis non susceperit........ anathema sit.* Ses. IV. De Canonicis Scripturis.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Pleraque in Scriptura occurrunt, quae ob eorum inutilitatem, vel levitatem Spiritu Sancto auctore indigna omnino videntur, ut exempli causa illud Tobiae: *Tunc praecucurrit canis, qui simul fuerat in via, et quasi nuntius adveniens blan-*

dimento suae caudae gaudebat, XI. 9. Et illud Apostoli: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas.* II. Tim. IV. 13. aliaque huiusmodi.

Resp. Quod nos praecipuam, ac propriam rationem, ob quam aliquid ab auctore, praesertim Deo, scriptum sit, ignoremus; ex eo illud Deo indignum esse perperam concludimus: nihil enim facilius, quam quod profundissima Dei consilia nos non intelligamus. Ea ergo, quae primo intuitu inutilia, ac levia nobis videntur, talia in Dei mente non sunt. Praeterea quae in obiectione citantur circumstantiae, nec inutiles, nec leves omnino recte consideranti videbuntur; nam praeterquam quod illae ad historiae integritatem, et styli simplicitatem Scripturae propriam, allegoricas quoque, et morales significationes minime spernendas continent. Nimirum canis Tobiae praecurrens, et gaudens fidei erga dominum, et grati animi erga benemerentem morale documentum est; allegorice autem

Ecclesiae, pastores et doctores significat, qui Angelo Testamenti adhaerentes, lupos ab eius ovili arcent. Vide Isai. LVI. 2. et Hieronymum in hunc locum. Quod vero ad Pauli penulam, et libros attinet, Ecclesiae ministris, et Apostolicae paupertatis, et assidui laboris legendo speciatim, et scribendo impensi opportunissimum exemplum proponitur.

Obiic. II. Se multa proprio marte, non Spiritu Sancto inspirante scripsisse ipsi sacri Auctores testantur: *Ceteris ego dico, non Dominus.* I. Corinth. VII. 12. *Quod loquor non secundum Deum loquor...... In quo quis audet, in insipientia dico, audeo et ego.* II. Corinth. XI. 17. 21.

Resp. Locutione illa Apostolus, *ceteris ego dico, non Dominus*, consilium a praecepto discernere voluit; at consilium ipsum Dei inspirantis erat. Quod vero dicit, non secundum Deum, et insipienter loqui, se insipientium more, sed necessitate coactum ad coercendos falsos Apostolos, non sine Dei inspiratione, sermonem instituisse signifi-

cat ; ac propterea id quod nulla necessitate cogente, nec Deo inspirante, insipienter, et non secundum Deum dictum foret, sapienter, et secundum Deum locutus est Apostolus : illis autem verbis rem, prout exterius apparebat, indicare solum voluit.

Obiic. III. Auctor secundi Libri Machabaeorum se multa proprio ingenio, non Deo inspirante, scripsisse ostendit, quum ait : *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus* (Iasonis Cyrenaei) *breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum, et sudoris assumpsimus.* II. Machab. II. 27. Et alibi : *Ego quoque in his faciam finem sermonis ; et si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi.* Ibidem cap. XV. 38. 39.

Resp. Ex eiusmodi Scriptoris sacri dictis non recte concludit adversarius, quaedam illum per se, Deo non inspirante, scripsisse. Sicut enim gratia, quamvis efficax, voluntatis operam haud excludit, sic nec inspiratio

laborem intellectus: et quemadmodum voluntatis studio sese accommodare solet gratia, ita et ingenii viribus, ac motibus inspiratio. Igitur nec labor, nec veniae petitio Scriptoris illius divinam inspirationem impediunt. Ad rem Lovanienses Theologi: *Inspiratio Spiritus Sancti non excludit quaerendi, legendi, meditandi, aut ordinandi sermonis curam, ac studium, non magis quam precationis, atque ieiunii. Quemadmodum enim post orationem, ac praemissum ieiunium, ita et post meditationis laborem, atque industriam potest Spiritus Sanctus et rem quam scribi velit, etiam ante non ignoratam, et sermonis structuram, ac ordinem suggerere. Id quod non historicis tantum sacris, sed Prophetis etiam evenire interdum potuit. Neque enim isti inter scribendum tunc demum mysteriorum, ac futurorum semper revelationem accipiebant: cum de multis certum, ac evidens sit, anteriorem in eis fuisse revelationem, posteriorem scriptionem. Certe in exstasi, et raptu positi non simul ea, quae videbant,*

in litteras mittere poterant. In his ergo postea describendis, cur non, ut in ceteris rebus sensu, experientia, aut lectione cognitis, humanae industriae relictus locus aliquis cogitari queat: postea tamen inter scribendum suggerente post meditationis laborem Spiritu Sancto, quaenam horum, et quomodo scribi vellet?......... Porro, quod idem Auctor veniam petere se dicat, si minus convenienter historiae scripserit, nequaquam id in Spiritus Sancti iniuriam redundat. Neque enim falsitatis, aut erroris, sed minus accurati tantum sermonis veniae petitio est: cuiusmodi et apud Paulum II. Cor. XI. reperitur, qui dum sermonis confitetur imperitiam, quid aliud, quam eius veniam quodammodo poscit? Verum ibi non aliud, quam tacita quaedam, sed mira dignatione ad humanae imbecillitatis accommodata ingenium, intelligenda est admonitio, ne quis verborum, et orationis humilitate offensus a sacra lectione resiliat. Unde nec styli inter Scriptores sacros diversitas obstat, quo minus et ipse

a Spiritu Sancto profectus sit. Eloquentius Isaias aulicus scripsit, quam pastor, et rusticus Amos: et tamen eorum verba singula, totusque sermo a Spiritu Sancto inspiratus non dubitatur. Nimirum utebatur his organis Deus, servata cuiusque qualitate ac conditione, quando haec ipsa varietas sapientiae etiam ipsius consilio subserviebat. Cap. I. num. 15. et seqq.

Ceteras difficultates, quas ex Scripturis nobis obiiciunt Adversarii, brevitatis causa praetermittimus; eas autem omnes evertere poterit, quisquis Bibliorum interpretes consulere velit. Interea illud animadvertendum tum haereticos, tum incredulos a primis usque Ecclesiae saeculis difficultates exquisitas undique, et collectas vel quorumdam, vel omnium sacrorum librorum θεοπνευστία obiecisse; quibus difficultatibus singulis Catholici adeo plene responderunt, ut recentioribus haereticis, atque incredulis nihil aliud reliquum fuerit, nisi eamdem crambem omnino recoquere. Illud insuper memoria nunquam excidere patiatur Theologus, quod

scripsit Augustinus: *Excellentia canonicae auctoritatis veteris, et novi Testamenti, quae Apostolorum confirmata temporibus per successiones Episcoporum, et propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui serviat omnis fidelis, et pius intellectus. Ibi si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: Auctor huius libri non tenuit veritatem; sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis.* Lib. XI. cont. Faust. cap. V.

Propositio II.

Ut Sacra Scriptura recipiendi sunt omnes libri, quos Catholica Ecclesia in suo Canone exhibet.

§. I. Antequam propositionem hanc demonstrandam aggrediamur; quid *Canonis* nomine veniat, explicandum est. *Canonem* heic appellamus catalogum librorum, qui, Deo inspirante, conscripti sunt: qui vero in hoc

catalogo continentur libri, *Canonici* nominantur, atque ab *apocryphis* (1), qui extra catalogum sunt, distinguuntur. Canonem suum habuit Synagoga, qui viginti duobus libris iuxta Hebraicarum litterarum numerum constabat. Sunt autem canonici Iudaeorum libri:

---

(1) Αποκρυφος nempe *absconditus* proprie dicitur liber, qui quum ipsum esse divinum certe non constet, etsi fortasse talis sit, in canone non recensetur. Tales Bellarmino Lib. I. de Verbo Dei Cap. IV. videntur.

Oratio Manassae

Esdrae III. et IV. Liber.

Machabaeoram III. et IV. Liber.

Psalmus 151, quem Graeci Codices exhibent, et commemorat Athanasius in Synopsi.

Appendix Libri Iob.

Hermetis Pastor.

Quandoque vero αποκρυφος dicitur liber, qui erroribus non caret.

Pentateuchus Mosis, nempe,
- Genesis
- Exodus
- Leviticus
- Numeri
- Deuteronomium

Iosue
Iudicum
Ruth
Quatuor Regum
Duo Paralipomenon
Esdrae primus, et secundus, qui dicitur Nehemias
Esther
Iob
Psalterium Davidicum 150 Psalmorum
Parabolae
Ecclesiastes
Canticum Canticorum

Quatuor Prophetae maiores, nempe
- Isaias
- Ieremias
- Ezechiel
- Daniel

Duodecim Prophetae minores, nempe.	Osea Iocl Amos Abdias Ionas Michaeas Nahum Habacuc Sophonias Aggaeus Zacharias Malachias

In Canone vero Catholicae Ecclesiae septuaginta duo libri continentur; namque iam dictis hi etiam adnumerantur, scilicet quod ad vetus Testamentum adtinet,

Tobias
Iudith
Sapientia
Ecclesiasticus
Baruch
Duo libri Machabaeorum.

Quod ad novum vero Testamentum pertinet, sunt

Quatuor Evangelia { Secundum Matthaeum, Secundum Marcum, Secundum Lucam, Secundum Ioannem }

Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti

Quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli. { Ad Romanos, Duae ad Corinthios, Ad Galatas, Ad Ephesios, Ad Philippenses, Ad Colossenses, Duae ad Thessalonicenses, Duae ad Timotheum, Ad Titum, Ad Philemonem, Ad Hebraeos }

Petri Apostoli	(Duae Epistolae
Ioannis Apostoli	(Tres
Iacobi Apostoli	(Una
Iudae Apostoli	(Una.

Apocalypsis Ioannis Apostoli.

§. II. Omnes praedicti libri in *protocanonicos*, et *deuterocanonicos* dividuntur. *Protocanonici* nominantur illi, quos semper in Canone habuit Ecclesia: *deuterocanonici* vero illi, qui olim in Canone ab Ecclesia non recensebantur.

Veteris Testamenti libri deuterocanonici sunt
Tobias
Iudith
Esther quaedam capita
Baruch
Epistola Ieremiae, seu caput ultimum Baruch
Sapientia
Ecclesiasticus
Additiones Danielis, id est oratio Azariae, Hymnus trium pue-

Libri vero deuterocanonici novi Testamenti sunt
Marci caput ultimum
Lucae historia de agonia Christi
Ioannis narratio de muliere adultera
Epistola ad Hebraeos
Epistola Iacobi
Epistola secunda Petri
Epistola secunda, et tertia Ioannis
Epistola Iudae
Apocalypsis

rorum, Historia Susannae, et Belis.
Duo libri Machabaeorum

Ceteri omnes sunt protocanonici.

§. II. Porro Catholicae Ecclesiae Canonem non recipiunt Heterodoxi; sed mira quadam inconstantia, et temeritate alii alios libros ex illo extrudunt. Nimirum vetus Testamentum omnino reiiciebant Manichaei; novum vero Iudaei reiiciunt. Quidam Evangelia divina negabant, ut narrat Augustinus II. Retractat. Cap. XVI. quidam alii, nempe Ebionaei Epistolas Pauli respuebant, ut refert Eusebius III. Histor. Eccles. cap. XXVII. Veteris Testamenti libros deuterocanonicos omnes repellunt Lutherus, et Calvinus; sed novi Testamenti deuterocanonicos libros Lutherani quidem repellunt, Calvinistae vero admittunt: quinimmo nec ipsos Lutheranos, aut Calvinistas, aut alios Novatores in eadem sententia concordes reperire contingit.

§. III. His praemissis, statutam propositionem demonstramus, non alium nempe Scripturarum Canonem, quam illum, quem Catholica Ecclesia exhibet, recipiendum esse. Quum de librorum, qui Dei verbum continent, numero definiendo sermo est, non sufficit quaevis auctoritas, sed ea prorsus requiritur, quae in errandi periculo nulla ratione versari possit. Ex eiusmodi enim numeri definitione, eorum cognitio dependet, quae fide tenenda sunt, utpote a Deo revelata; nec non eorum, quae reiicienda sunt, utpote Dei verbo contraria: fides autem cum errandi periculo simul stare non potest. Ergo sacrarum Scripturarum Canon, vel ex ipsis Scripturis eruendus, vel ab alia quadam auctoritate inerrante, seu *infallibili* constituendus est. Atqui ex ipsis Scripturis erui non potest; nullibi namque sacrorum Librorum catalogum texunt Scripturae. Praeterquamquod ignotum tunc per ignotum, ut aiunt, definiretur; siquidem ea prorsus quaestio est, quibus scilicet libris constent Scripturae. Nimirum omnes illi, qui

ad sacros Libros a non sacris discernendos nullam aliam adhibendam esse regulam contenderunt, quam Scripturas ipsas; in divinis Libris definiendis mirifice inter sese dissenserunt. Quomodo igitur, ut exemplum aliquod adferamus, contra haereticos illos, qui Evangelia negabant, sicuti refert Augustinus paullo ante citatus, ea divina esse probabunt Pseudo-reformati? Quomodo Ebionaeos, qui omnes Pauli Epistolas respuebant, erroris convincent? Qua via adversus Basilidem, qui Barchabam, Barchob, aliosque Prophetas in veteri Testamento agnoscebat, non alios Prophetas, quam quatuor maiores, et duodecim minores extitisse demonstrabunt? Quid Lutheranis omnes novi Testamenti deuterocanonicos libros repellentibus reponent Calvinistae, quid Calvinistis eos admittentibus reponent Lutherani? Alia igitur, praeter sacras Scripturas, invenienda est inerrans, seu *infallibilis* auctoritas: at talis non est, nisi Catholica Ecclesia, cuius Canonem iam supra exhibuimus. Iure igitur meritissimo sententiam illam pronunciavit Augustinus:

Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas. Cont. Epist. Manichaei n. 6.

§. IV. Illud autem nobis demonstrandum superest, quod nempe Catholica Ecclesia Sacrarum Scripturarum Canonem non proprio ingenio finxit, sed ex perpetua Traditione eos libros omnes divinos esse cognovit. Nimirum huius Traditionis plura, eaque gravissima habemus testimonia. Primum enim testem damus Concilium Carthaginense II. Can. XLVII. anno 397 celebratum, atque a Leone IV, et a sexta Synodo Oecumenica confirmatum, quod non alium divinorum librorum Canonem recipit, quam illum, quem nunc Catholica Ecclesia agnoscit: alterum deinde Innocentium I. qui illum ipsum Canonem comprobat in Epistola ad Exuperium: tertium vero Gelasium I. qui cum septuaginta Episcopis eundem Canonem proponit: insuper etiam Eugenium IV. qui in Decreto pro Iacobitis eam esse Romanae Ecclesiae circa Sacrarum Scripturarum canonem confirmat. Porro citatis testibus con-

sentiunt S. Augustinus Lib. II. de Doctr. Christ. cap. VIII. et S. Isidorus Etymol. Iure ergo Tridentina Synodus postquam Sacros Libros enumeravit, haec addit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit; .... anathema sit.* Sess. IV. Decret. de Canonicis Scripturis Atque iure meritoque tum in divini Officii recitatione, tum in augustissimi Missae Sacrificii celebratione ex omnibus citatis libris nullo discrimine partes aliquas excerpit Catholica Ecclesia; et lectiones ex ipsis depromtas iis in locis ponit, in quibus non aliud ponit, nisi quod ex libris Deo inspirante conscriptis accipitur. Nullum igitur eiusmodi librorum, quos Catholica Ecclesia pro canonicis Scripturis habet, sive omnino, sive ex parte reiicere licet.

§. V. Praeterea testimoniis iam productis, quae Libros omnes deuterocanonicos pro divinis habendos ostendunt, alia addere possu-

mus , quibus unusquisque librorum illorum divinus comprobatur. Nam, quod ad vetus Testamentum, librum Tobiae inter divinas Scripturas connumerat S. Cyprianus , siquidem Quirino, qui ab ipso petierat, ut *excerperet de Scripturis Sanctis quaedam capitula ad religiosam Sectae nostrae disciplinam pertinentia,* morem gerens, et *quaedam praecepta dominica , et magisteria divina colligens , quae esse facilia , et utilia legentibus possint ,* Tobiae sententias proponit Lib. III. Testimoniorum ad Quirinum cap. I., VI. , LXII. ; Sanctus Ambrosius , qui sic loquitur : *Lecto prophetico Libro , qui inscribitur Tobias , quamvis plene vobis virtutes sancti Prophetae Scriptura insinuaverit , tamen compendiario mihi sermone de eius meritis recensendis , et operibus apud vos utendum arbitror ; ut ea quae Scriptura historico more digessit latius , nos strictius comprehendamus , virtutum eius genera velut quodam breviario colligentes.* De Tob. cap. I. S. Augustinus denique in *Speculo* plures sententias ex To-

biae libro narrat, postquam in huius operis Praefatione se non nisi ex sacris et canonicis libris verba depromturum declaravit. *De his igitur*, sic in dicta Praefatione loquitur, *quae ita sunt posita in litteris sacris*, *vel iubendo, vel vetando, vel sinendo* ... *hoc Opus*, *quod in manus sumpsi*, *componere aggressus sum*; *ut*, *quantum me Deus adiuvat*, *omnia talia de canonicis libris colligam.*

Librum vero Iudith Scripturam appellat Origenes: *Volo*, sic loquitur, *exemplum dare a Scriptura iusti foedera revocantis* ... *Iudith foedera sanciverat cum Holopherne etc.* Hom. XIX. in Hierem. Edit. Huet. Atque in Sanctarum Scripturarum numero hunc librum recensuisse Nicaeni Concilii Patres his verbis testatur S. Hieronymus: *Apud Hebraeos Liber Iudith inter Apocrypha legitur*: *cuius auctoritas ad roboranda illa*, *quae in contentionem veniunt*, *minus idonea iudicatur*; *Chaldaeo tamen sermone conscriptus inter historias computatur. Sed quia hunc librum*

Synodus Nicaena in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestrae. Praefat. in librum Iudith. Denique ex eodem Iudith libro non secus ac ex ceteris sacrae Scripturae libris exempla protulerunt S. Clemens Romanus in 1. ad Corinthios Epistola; Clemens Alexandrinus Stromat. Lib. IV. pag. 521.; S. Ambrosius de Officiis Lib. III. cap. XIII. et in Libro de viduis; aliique.

Quod ad septem postrema Hester capita adtinet, eadem, licet postea in Hebraeo codice non legerentur, ab initio tamen in eo scripta fuisse, satis probat Septuaginta interpretum versio, qua Patres omnes Graeci, et Latini usi sunt. In hac enim versione, quae non nisi ex Hebraico Codice facta fuit, septem illa postrema capita leguntur.

In librum vero Baruch illud est animadvertendum primo, quod ex Veteribus multi, quum illum, veluti Ieremiae appendicem considerarent, in Scripturarum Canone distincte ac nominatim non recensuerunt; deinde quod alii multi sub Ieremiae nomine

illius sententias citarunt; ut e. g. S. Cyrill. Hierosol. Orat. De occ. Dom. n. VII. ; tertio quod non pauci vel Canonicum appellarunt, ut S. Athanasius in Epistola festali, S. Cyrillus Hierosolymitanus Prophetam Baruch vocans Catech.XI. n. V., Theodoretus *Divinam Scripturam* Baruch Opus nuncupans, Comment. in Baruch cap.II.; demum quod alii ex Baruch, aeque ac ex aliis canonicis libris, sententias depromserunt, ut S.Cyrillus Alexandrinus Lib.X. contra Iulianum pag. 334., S. Basilius Lib.IV. contra Eunomium, S.Ambrosius Lib.I. de fide ad Gratianum, S.Joannes Chrysostomus in Oratione *Quod Christus sit Deus.* Circa vero extremum Baruch caput, seu *Ieremiae Epistolam* advertendum non Baruch, sed Ieremiae esse, huiusque lamentationes in quibusdam LXX. Interpretum Editionibus, et in Arabica versione sequi. Sic enim loquitur S. Athanasius: *Post hos numerantur Esaias, Ieremias, Baruch, Lamentationes, Epistola.* In Epist. Festali; item S. Hilarius ex vaticiniis Ieremiae, Threnis, Epistola constare unum vigintiduorum libro-

rum Hebraici Canonis adfirmat in Prologo Explanationis in Psalmos ; S. Cyprianus denique ex ea Epistola testimonium proferens Ieremiam citat in libro de Oratione Dominica.

Susannae Historiam, aliaque vulgo *Danielis Additamenta* appellata a primis usque saeculis sacra, et Canonica existimarunt S. Ignatius in Epistola ad Magnesianos, quae una ex germanis est, S. Athanasius in Epistola ad Serapionem, S. Ambrosius Lib. III. de Spiritu Sancto cap. VII. Idem innuit Tertullianus de Cor. Mil. cap. IV. S. Cyprianus Epist. XL. Clemens Alexandrinus Stromatum IV. Origenes demum Susannae, Beli, et Draconis Historiam, Azariae orationem, trium puerorum hymnum *per totam Ecclesiam circumferri* refert ; *quae tamen*, addit, *in Hebraeo Danielis Textu non sunt scriptae*, Epist. ad Iulium Africanum; atque defectus huius causam affert, sic scribens : *Sed tempus est nos adversus improbos presbyteros uti Sanctae Susannae vocibus, quas illi quidem, repudiantes Historiam Susannae, de catalogo divinorum*

voluminum desecarunt, nos autem et suscepimus, et opportune contra ipsos proferimus dicentes, etc. Hom. 1. in Levit. n. 1.

Item Sapientiae Librum Sacrae Scripturae partem esse ostendunt plerique Patrum, qui ex eo, ut ex ceteris Sacris Scripturis, testimonia depromere solent. Nimirum verba haec (Sapientiae XII. 12.) *Quis dicet ipsi, quid fecisti? Aut quis resistet robori potentiae eius?* citat S. Clemens epist. 1. ad Corinth. Haec vero (Sapient. VIII. 2.). *Amator factus sum formae illius* usurpat S. Dionysius de Div. nominibus. Cap. IV. nec non illa (Cap. II. 12.). *Circumveniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris; morte turpissima condemnemus eum*, commemorant S. Iustin. in Dial. cum Tryph., S. Cyprian. Lib. II. Testimon. adv. Iud. Cap. XIV., S. Augustinus in Psalm. LXIII. n. 5. Ad illa autem (Sap. I. 1.) *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum* alludit Tertullianus, dum scribit: *Nostra institutio de porticu Salomonis* (Salo-

moni tribuit hunc librum Tertullianus) *est ; qui et ipse tradiderat , Dominum in simplicitate cordis esse quaerendum*. Lib. de Praescript. Cap. VII. Praeterea Dei Filium Mundi Conditorem hoc argumento probat Concil. Sardicense : *Ait enim Scriptura* (inquit) » Omnium Artifex Sapientia docuit me » (quod legitur Sapient. VII. 21.) In Epist. Synodica apud Theodoretum Lib. II. Hist. Eccles. Cap. VIII. Divinam Spiritus Sancti naturam Sapientiae (I. 7.) sententia comprobat S. Basilius: *Spiritus enim est*, ait, *qui adimplevit cuncta , secundum id quod scriptum est:* » Spiritus enim Domini adimplevit Orbem » Lib. V. cont. Eunom. Ita etiam S. Epiphanius Haeres. LXXVI. S. Hilarius. Enarrat., in Psal. 127. S. Ambr. Enarrat. in Psal. I. et saepe alibi. Optatus Milevitanus Lib. IV. Quorum testimonia brevitatis causa omittimus. Quid quod ipsi Scriptores divinitus inspirati plures Sapientiae sententias in libros suos derivarunt ? ut quisque observare poterit apud S. Matth. XIII. 43. et apud Apost. ad

Rom. IX. 20. XI. 34. I. Corinth. II. 16. Ephes. IV. 9. Hebr. I. 3.

Ecclesiastici Librum inter Sacras Scripturas connumerant ex Patribus Graecis Clemens Alexandrinus, qui sententiam Ecclesiastici (*XXI.7.*) sic refert: *Hic exoriuntur aliqui qui dicunt non esse bonum Dominum, propter virgam, et minas, et timorem, neque Scripturam audientes, quae sic dicit* » Et qui timet Dominum convertetur ad cor suum » Lib. I. Paedagogi Cap. VIII.; Origenes, *Quid enim ait Scriptura?* » Quid superbis terra, et cinis? ...... In vita eius proiecit interanea eius » (Eccli. X. 9. 10). Hom. IX. in Ezech., n. 2.; Sanctus Athanasius: *Non coenabis cum foeminis superbis, neque habebis mulierem arrogantem tibi familiarem. Ait enim Sacra Scriptura.* » Qui attingit picem inquinabitur, et qui communicat superbo, similis illi efficietur » (Eccli. XIII. 1.) Lib. de Virginitate. pag. 1052. T. I. Ed. Coloniae 1686; S. Cyrillus Alexandrinus: *Omne itaque bonum patientia nobis suppeditat atque conciliat: via est ad proba-*

tionem , speique futurae vitae nutrix. At quibus rationibus comparetur , id divina nos Scriptura edocet » Filii , accedens ad servitutem Dei.....praepara animam tuam ad tentationem....dirige cor tuum, et constans esto » (Eccli. II. 1. 2.) Homil. in Epist. ad Ephes.; S. Basilius: *Ait enim* (Scriptura , ut ex contextu patet) » Quum consummaverit homo , tunc incipiet : et quum quieverit, tunc deficiet » (Eccli. XVIII. 6.) In Cap. VIII. Isaiae. n. 222. Similiter S. Gregorius Nyssenus. Homil. III. in Ecclesiasten., S. Gregor. Nazianzenus Orat. I. cont. Iulian., S. Ioannes Chrysost. Hom. XV. ad Paul. Antiochenum, S. Epiphanius in Ancorato Cap. XII. S. Ephrem Syrus Lib. adv. improbas mulieres. S. Ioan. Damascen. Orat. I. de dormitione Deiparae. Ex latinis vero S. Cyprianus : *Sed et Salomon* (Salomoni tribuitur et hic liber a S. Cypriano ; sed Iesu filio Sirach inscribitur) *in Spiritu Sancto constitutus testatur , et docet quae sit Sacerdotalis auctoritas , et potestas , dicens* » Ex tota anima

tua time Deum, et Sacerdotes eius sanctifica » *et iterum* » Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica Sacerdotes eius » (Eccli. VII. 31. 33.) Epist. LXV. ad Rogatianum, qui saepe Ecclesiastici sententias citat in Operibus suis; S. Ambrosius: *Illud quoque egregium, quod ait Scriptura* » Ante mortem non laudaveris quemquam; unusquisqué enim in novissimis suis cognoscitur, et in filiis suis aestimatur, si bene filios suos instituit, et disciplinis competentibus erudivit » Lib. de bono mortis, Cap. VIII. (hoc autem Scripturae testimonium habes Ecclesiastici Cap. XI. 30. his verbis: *Ante mortem ne laudes quemquam, quoniam in filiis agnoscitur*), *et* aliud Ecclesiastici testimonium citat lib. IV. de Fide, Cap. IV; S. Hieronymus: *Divina Scriptura loquitur.* » Musica in luctu intempestiva narratio » (Eccli. XVII. 6.) Epist. XXXIV. ad Iulian. n. 1. Item S. Fulgentius Lib. I. de Remis. peccat. Cap. XII. S. Hilarius in Psalm. 140, et alii; qui citantur apud Nat. Alex. Hist. Eccles. In VI. Mundi aetatem Veteris Tes.

Dissert. VII. Artic. VII. Illud praeterea animadvertendum, quod ex hoc etiam Libro plures sententias excerpserint novi Testamenti Scriptores; ut Matth. XII. 15.17. Luc. XVIII.3. Ioan. IV. 35. Paulus II. Cor. IX. 7.

Duos Libros Machabaeorum Sacrarum Scripturarum nomine donat Origenes, qui sic inquit: *Ut autem ex Scripturarum auctoritate haec ita se habere credamus, audi quomodo in Machabaeorum Libris, ubi Mater septem Martyrum unum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta, de hoc dogmate confirmatur; ait enim* » Rogo te fili, respice coelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt, et videns haec scito, quia Deus haec omnia, cum non essent, fecit » Lib. II. Periarchon Cap. I. n. 15. S. Cyprianus inter cetera Scripturarum dicta, quibus ostendit causam, cur homines Deus tentet, esse ipsorum probationem, illud. I. Mach. II. 52. citat. *De hoc ipso in Machabaeis* » Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, et deputatum est ei ad iustitiam? » Lib. III. Testimoniorum ad Quirinum Cap. XV.

Et epist. LV. ad Cornelium Papam libros Machabaeorum *Scripturam divinam* nominat. Lucifer Calaritanus ait: *Loquitur Sacra Scriptura* dicens in *Machabaeorum primo Libro* » Et scripsit rex omni Regno suo, ut esset universus populus unus, et relinqueret unusquisque legem suam » (I. Machab. I. 43.) Lib. *De non parcendo in Deum delinquentibus*. S. Hieronymus: *Hoc enim Scriptura commemorat, quod Alexander Rex Macedonum egressus sit de Terra Cetym.* Comment. in Isai. Lib. V. ad cap. XXIII.

Quod ad novum vero Testamentum ultimum Marci caput in vetustioribus Graecis Codicibus non defuisse probant praecipue S. Irenaei Lib. III. adv. Haereses, et S. Athanasii in Synopsi testimonia; item Lucae narrationem de Christi Agonia Sancti Evangelii partem esse testatur S. Epiphanius in Ancorato, S. Augustinus de Consensu Evangelistarum Lib. III. cap. IV., et Graecorum, latinorumque codicum, nec non Syriacorum, Arabicorumque consensus; similiter ad Ioannis Evangelium pertinere Adul-

terae mulieris historiam comprobant vetustissimi Graeci codices mss. quos vidit Robertus Stephanus, et illi, quos in manibus habuerunt Polyglottor. Bibli. accuratissimi Editores; et confirmant Tatiani, atque Ammonii Alexandrini Harmoniae, S. Athanasius in Synopsi, S. Ambrosius in Epist. ad Stadium, quae est XLI, S. Hieronymus Lib. II. contra Pelagianos, S. Augustinus Tract. XXXIII. in Ioan. et Lib. II. de Adulterinis coniugiis cap. VI. et VII.

Praeterea Pauli Epistolam ad Hebraeos ad Sacram Scripturam pertinere testificantur Clemens Alexandrinus apud Eusebium Lib. VI. Historiae Ecclesiast. Cap. XIV., Origenes apud eundem Cap. XXV. eiusdem Lib., S. Basilius Cap. XXII. Constitutionum Monasticarum, S. Gregorius Nyssenus Lib. de Hypostasi, S. Augustinus in Speculo, S. Cyrillus Alexandrinus (cuius Anathematismos adscivit oecumenica Synodus Ephesina) Anathematismo X., Theodoretus in Argumento Epistolae ad Hebraeos, ubi Arianos eam adulterinam existimantes confutat, aliique

plures. Idem de S. Petri secunda epistola demonstrant S. Athanasius in Epistola Festali, in Synopsi, et alibi, S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. IV. n. II. XVI., S. Ambrosius de Incarnatione cap. VIII., S. Hieronymus contra Iovinianum Lib. I. cap. XXIV., S. Gregorius Magnus Hom. XVII. in Ezechielem, et alii.

Secundam Petri epistolam, secundam et tertiam Ioannis, Iacobi item, et Iudae epistolas inter canonicas Scripturas connumerant Origenes Hom. VII. in Iosue, S. Epiphanius Haeres LXXVI. S. Athanasius in Synopsi, S. Cyrillus Hierosolym. Catech. IV. n. XXII. S. Hieronymus in epist. ad Paulinum de studio Scripturarum, aliique. Quod ad secundam Petri epistolam adtinet, silentio non est praetermittendum argumentum, quo S. Gregorius Magnus eam Principis Apostolorum esse confirmat: *Fuerunt quidam*, ait, *qui secundam Petri epistolam, in qua epistolae Pauli laudatae sunt, eius dicerent non fuisse. Sed si eiusdem epistolae verba pensare voluissent, longe aliter sentire potuerant.*

In ea quippe scriptum est » Voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria : Hic est filius meus, in quo mihi complacui » : *atque subiungitur* » Et hanc vocem nos audivimus , cum essemus cum ipso in monte sancto ». *Legant itaque Evangelium ; et protinus agnoscent, quia quum vox ista de coelo venit, Petrus Apostolus cum Domino stetit. Ipse ergo hanc epistolam scripsit, qui hanc vocem in monte de Domino audivit.* Hom. XVIII. in Ezechiel. n. 11.

Pro Iacobi Epistolae αὐθεντίᾳ, ac θεοπνευστίᾳ inter alios testes habemus S. Athanasium in Synopsi , S. Cyrillum Hierosolymitanum Catech. VII. n. II. , S. Gregorium Nazianzenum in Carmine de Scripturis authenticis, S. Amphilochium in Carmine ad Seleucum; S. Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum.

S. Iudae epistolam pro canonica habent S. Athanasius in Epist. Festali , et in Synopsi, S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. IV. n. XXII., S. Gregorius Nazianzenus Carmine XXXIV., atque alii.

Denique Apocalypsim divinum librum reputarunt S. Iustinus in Dialogo cum Tryphone S. Irenaeus Adv. Haeres. Lib. IV. cap. XXXVII., Tertullianus Lib. III. contra Marcionem cap. XXXIII., S. Cyrillus Hierosolym. Catech. X. n. II., S. Hippolytus de Antichristo, S. Cyprianus de Exhortatione Martyrii, ceterique.

Obiecta diluuntur.

Obiic. 1. Non alios veteris Testamenti Libros pro divinis habere potuit Ecclesia, nisi quos a Synagoga recepit. Atqui deuterocanonicos libros pro divinis non habuit Synagoga. Ergo tales non sunt.

Resp. Tria prorsus falsa heic supponunt Adversarii. Primum scilicet non posse Deum Catholicae Ecclesiae revelare, quod Synagogae non revelavit; quum contra Catholicae Ecclesiae plurima revelaverit Deus, quae Synagogae erant abscondita. Alterum non posse Ecclesiam aliqua declarare a Deo revelata, quae non declaraverat Synagoga; quum plura

declaraverit Ecclesia saeculis procedentibus, quae antea nec ipsa declaraverat. Tertium Synagogam libros illos ideo reiecisse, quod in Canonem non retulit: quum Synagoga Canonem ex iis tantum libris conficere volens, qui Hebraice conscripti fuerant, eos, qui alia lingua scripti inveniebantur, in Canonem non retulerit; sed non ideo reiecerit. Nimirum illos ipsos libros, qui extra Canonem erant, maximi existimatos fuisse a Synagoga narrat Iosephus Hebraicus Scriptor; et inter ἁγιογραφους secundae classis relatos fuisse testatur S. Hieronymus Hebraicarum rerum peritissimus.

Obiic. II. Ut in Sacrarum Scripturarum Canonem libros aliquos recipiat Ecclesia, illos divinos esse revelare debet Deus ipse, eorum Auctor; atqui libros deuterocanonicos divinos esse Deus non revelavit, siquidem an divini essent, diu dubitatum est: ergo tales libri extra Canonem ponendi sunt.

Resp. Libros deuterocanicos esse divinos Dei manifestatione novit Ecclesia. Nam etsi multi de eorum θεοπνευστια dubitarent; multi

tamen divinos esse pro certo habuerunt, quod quidem nonnisi ex divina Traditione intellexerunt: quum igitur Traditio haec extaret, licet non omnibus nota, potuit Ecclesia postquam eam explorasset, libros ipsos in Canonem recipere, nec ulli amplius post Ecclesiae declarationem de illis dubitare licet. Neque hoc novum est, ut alicuius doctrinae manifestationem a Deo factam, sed alicubi ignotam, exploret, atque omnibus notam faciat Ecclesia: sic e. g. in quaestione de Baptismi ab haereticis collati firmitate accidit.

Sectio II.

De Traditione divina.

§. I. Doctrina, quam Deus non scripto, sed voce revelavit, divina Traditio vocatur. Cum Sacra Scriptura igitur convenit Traditio divina, quatenus utraque Dei verbum est; a priori altera differt, quatenus illa Dei verbum Deo ipso *inspirante* litteris mandatum, haec vero Dei verbum ore divinitus communica-

tum complectitur. Divina autem Traditio in Dominicam, et Apostolicam distingui potest, prout divinum verbum vel Christi voce, vel Apostolorum ore, Spiritu Sancto ipsis afflante, traditum fuit; quamquam utraque et Dominica, et Apostolica dici queat, Dominica, quia utriusque Deus auctor est, Apostolica quia utramque Apostolis, et per Apostolos deinde Ecclesiae contulit Deus.

§. II. At a divina Traditione, quae sola inter Theologicos locos recensenda est, discernitur humana, ea scilicet doctrina, quae non Deum, sed hominem habet auctorem. Nimirum ut suas habet traditiones civilis societas, ita etiam Ecclesiastica; et eiusmodi est quidquid pro Ecclesiae regimine constituerunt aut Apostoli, primi Ecclesiae Pastores, aut Episcopi Apostolorum successores; quare vel Apostolicae, vel simpliciter Ecclesiasticae nominantur.

Propositio Unica.

Verbum Dei non in sola Scriptura continetur; sed praeter Scripturam existit divina Traditio, quae verbum Dei non scriptum, sed ore traditum continet.

Prob. I. Ex Dei consilio, seu οικονομια in fide constituenda. Deus enim tum in veteri, tum in novo foedere non scripto, sed ore verbum suum ab initio revelavit. Quis nimirum ab Adamo ad Moysen usque tot saeculorum spatio veritates a Deo revelatas unquam scripsit? Nullus certe; et tamen plurimi fidem professi sunt, et per fidem ad aeternam vitam pervenerunt, ut ostendit Apostolus ad Hebraeos XI. Numquid scripsit Christus Dei Filius? Nunquam; attamen per eum novissime loquutus est Pater. Deinde pauci ex Domini Apostolis ac discipulis scripserunt; et tamen Dei Verbum praedicarunt omnes, fidemque per orbem propagarunt. Qui autem scripserunt, occasione data, non proposito omnia, quae Deus illis revelaverat,

scribendi, id fecerunt. Matthaeus scilicet, *quum Hebraeis primum fidem praedicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod praesentiae suae adhuc superesse videbatur, scripto illis, quos relinquebat, supplevit;* ait Eusebius Hist. Eccles. Lib. III. cap. XXIV. Marcus vero ut Romanis, qui Petrum audierant, morem gereret, Evangelium suum scripsit. Romani enim ita Petri praedicatione delectati fuerant, *ut parum haberent semel audisse, nec contenti essent coelestis verbi doctrinam viva voce nullis traditam scriptis accepisse; sed Marcum Petri sectatorem, cuius hodie extat Evangelium, enixe orarent, ut doctrinae illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret*, teste eodem Eusebio Hist. Eccl. Lib. II. cap. XV. Item *Lucas in ipso Evangelii sui exordio, quae scribendi sibi causa esset, exposuit. Ait enim multos temere, atque imprudenter aggressos fuisse*

narrationem earum rerum, quas ipse exploratas haberet: ac proinde se necessitate adductum, ut nos ab incertis opinionibus liberaret, certissimam, ac fidelissimam narrationem earum rerum, quarum ipse veritatem partim ex Pauli contubernio, partim ex reliquorum Apostolorum sermonibus hauserat, Evangelio suo tradidisse. Sic narrat citatus Eusebius cit. Lib. III. cap. XXIV. ubi etiam Ioannem ad extremam usque senectutem sola voce Evangelium praedicasse refert. At demum propter Ebionitarum haeresim ab Asiae Episcopis compulsus Evangelium suum scripsit, ut ait S. Hieronymus de Script. Ecclesiast. Idem de Pauli, Petri, Iacobi, Ioannis, Iudae epistolis dici potest. Non enim, ut universam revelatam doctrinam scripto traderent, eas scripserunt, sed secundum varias opportunitates peculiaria quaedam dogmata pertractarunt. Igitur Traditionem potius sine Scriptura existere voluit Deus, quam Scripturam sine Traditione, ut haeretici contendunt.

Prob. II. ex Scripturis, quas solas Dei

verbum complecti dicunt adversarii. Ipsae enim Scripturae tum antiqui, tum novi foederis ex Traditione Dei verbum hauriri mirifice comprobant. In veteri enim Testamento legimus: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; maiores tuos, et dicent tibi.* Deut. XXXII. 7. *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.* Psalm. XLIII. *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Isai. XXXVIII. 19. *Non te praetereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt a patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dabis responsum.* Eccli. VIII. 11. *State super vias, et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris.* Ierem. VI. 16. In novo autem scribit Corinthiis Apostolus: *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et, sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis* I. Cor. XI. 2. Nihil antea Corinthiis scripserat Apostolus

sed tamen voce praecepta tradiderat, res nempe necessario observandas docuerat, Corinthiosque laudat, quod tradita praecepta tenerent. Eandem ergo vim, quam Scriptura, habet Traditio. Ad Thessalonicenses quoque sic scribit Paulus : *Fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* II. Thess. II. 15. Quibus verbis eandem esse Scripturae, et Traditionis vim, ac eadem religione utramque servandam, quia scilicet Dei verbum utraque complectitur, apertissime ostendit. Recte itaque ex hac Apostoli monitione inferebat Chrysostomus : *Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam sine litteris ; eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista.* Homil. IV. in II. Epist. ad Thessalon. n. 2.

Prob. III. ex Patribus illis, quorum auctoritatem non reiiciunt Adversarii. S. Ignatius namque, ut narrat Eusebius, *Ecclesias sermonibus, et cohortationibus suis confirmans monebat in primis, ut a pra-*

vis haereticorum opinionibus caverent, quae tunc primum in lucem emergere quum coepissent, copiosius pullulabant; hortabaturque, ut Apostolorum Traditioni tenaciter adhaererent, περιεχέσθαι της των Αποστολων παραδοσεως, *quam quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatam scriptis mandare necessarium duxit.* Hist. Eccles. Lib. III. cap. XXXVI. Sic vero scribit S. Irenaeus: *Quid autem, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes.* Adv. Haeres. Lib. III. cap. VI. Et paulo ante haereticos carpit, quod neque Scripturis, neque Traditione se argui sinant, sed proprio ingenio sibi fidem fingant. *Quum enim*, ait, *Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsa-*

rum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictae, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant Traditionem . . . . . Quum autem ad eam iterum Traditionem, quae est ab Apostolis, quae per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos; adversantur Traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem. Ibid. cap. II. Tertullianus quoque, praeterquamquod Traditionem ex professo defendit in Opere de Praescriptionibus adversus haereticos, haec alibi scribit: *Harum, et aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules, Scripturam nullam invenies; Traditio tibi praetenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.* De corona militis cap. IV. S. Cyprianus etiam ungendum esse baptizatum, et aquam calici miscendam, quod utrumque Scriptura silet, divina Traditione docet. Lib. I. ep. XII. et Lib. II. ep. III. S. Stephanus denique

Traditionis ope baptismum ab haereticis datum iterandum non esse definivit, quamquam plures Scripturarum sententiae non recte intellectae contrarium ostendere nonnullis viderentur; notissimum scilicet est huius Pontificis effatum: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.*

Prob. IV. aliquibus doctrinis, quas, etsi in Scripturis nusquam legantur, fide tamen tenendas esse nobiscum consentiunt Adversarii. Eiusmodi sunt baptizari posse infantes, repetendum non esse baptismum ab haereticis collatum, Mariam etiam post partum Virginem fuisse, et si quae id genus aliae. Atqui tales doctrinae ad fidem pertinere non possent, nisi Dei verbo revelatae fuissent. Ergo Dei verbum non in solis Scripturis continetur; ideoque praeter Scripturas agnoscenda est divina Traditio.

Prob. V. ex ipsius traditionis necessitate. Traditione namque sublata, ne Scripturae quidem nobis prodessent, immo nulla firma ratione divinas Scripturas recognoscere possemus. Priorem huius argumenti partem

demonstrandam aggredimur; alteram enim iam demonstravimus, ubi de Scripturarum Canone sermo erat, pag. 46. et seq. Nimirum non uno eodemque sensu intelliguntur ab omnibus Scripturarum sententiae vel clarissimae; ac si inter tot, et tam varias hominum interpretationes requirenda sit revelata doctrina, vacillabit fides, quin potius nulla prorsus erit. Fides enim una est; contradicentes vero invicem sunt hominum interpretationes, nec alia litis finiendae via, nisi Traditio. Quid enim Arianis, Macedonianis, Nestorianis, Eutychianis, ceterisque haereticis, Sacrae Scripturae sententias proprio arbitrio explicantibus, atque ad errores suos fulciendos contorquentibus, responderent Traditionis hostes? Nihil certe illis opponere possent, nisi alias Scripturae sententias, quae priorum sensum recte firmarent, pravasque illorum interpretationes corrigerent. Sed has quoque Scripturae sententias ad suum arbitrium haeretici illi retorquebunt. Atque ita fidem moderabitur uniuscuiusque hominis ingenium, non Dei verbum; fides scilicet nulla

erit amplius, quippe quae non alio fundamento, nisi Dei summae veritatis verbo, niti potest. Scriptura igitur sine Traditione nihil omnino prodesset; immo interminatarum litium seminarium esset: ideoque divinam Revelationem funditus evertere conantur Traditionis inimici.

OBIECTA DILUUNTUR.

Obiic. I. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo*, ait Moses Deuteron. IV. 2. Ergo quidquid in Sacris Scripturis non invenitur, Dei verbum non est.

Resp. 1. In citata Deuteronomii sententia de Dei verbo generatim, non de Dei verbo tantum scripto, sermo habetur; non enim dicitur » Non addetis ad verbum, quod vobis scribo » sed *Non addetis ad verbum quod vobis loquor.* Atqui Traditione, aeque ac Scriptura, Deus loquitur; ut iam demonstravimus.

Resp. 2. Obiectis verbis non prohibentur

additiones, quas Deus ipse faciat, sed illae tantummodo, quas homo. Aliter enim ne Deo quidem, qui alia multa post Moysen in ceteris Sacrae Scripturae libris addidit, praestanda esset fides, quod sane absurdissimum. Non igitur divina Traditio verbis illis excluditur, sed solum humana, ea nempe quam Iudaeis exprobravit Christus dicens: *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? ... Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram..... Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, et mandata hominum.* Matth. XV. 3. 6. 9.

Obiic. II. *Licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*; scribit Apostolus ad Gal. I. 8. Ergo nihil admittendum, nisi quod in Sacris Scripturis legitur.

Resp. 1. Quod Apostolus dicit *praeterquam quod evangelizavimus*, idem significat, ac *contra quod evangelizavimus vobis;* secus enim nec illa, quae idem Apostolus

in aliis epistolis postea scripsit, admittenda forent. Sed Traditio nihil continet, quod Scripturae contrarium sit. Ergo Traditionem non damnat Apostolus.

Resp. 2. Verbum *evangelizare* non ea tantum complectitur, quae scribuntur. Quisquis igitur aliud praedicet, praeterquam quod Deus per nuncios suos, seu scripto, seu voce revelavit, ab Apostolo damnatur. Itaque non damnantur, qui Traditionem, utpote divinae Revelationis partem, venerantur.

Obiic. III. Traditionem reiicit Tertullianus, dum Scripturam sufficientem, immo plenam appellat: *Adoro*, inquit, *Scripturae plenitudinem, qua Deus mihi et factorem manifestat, et facta.* Contra Hermogenem Cap. XXII.

Resp. Traditionem citatis verbis reiicere Tertullianum, qui eam apertissimis testimoniis confirmat, ut supra notavimus, prorsus falsum est. De rerum enim ex nihilo effectione adversus Hermogenem tractat; quod tanta evidentia docent Scripturae, ut nemo non intelligat. Consequens autem non est ita

omnia esse in Scripturis aperta, vel adeo nihil aliud praeter ea, quae in Scripturis leguntur, manifestasse Deum, ut reiicienda sit divina Traditio.

Obiic. IV. Eas tantum doctrinas se recipere, quas complectitur Scriptura, profitetur S. Hieronymus. Ergo Traditionem excludit. *Hoc*, sic loquitur, *quia de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* In Cap. XXIII. Matthaei.

Resp. Ibi Scripturas non Traditioni, sed apocryphis libris opponit S. Hieronymus, ut ex contextu patet; nam paulo ante inquit: *Alii Zachariam patrem Ioannis intelligi volunt ex quibusdam apocryphorum somniis ... Hoc quia de scripturis* etc. Igitur ex germanis Scripturis, quae verbum Dei exhibent, non vero ex apocryphis argumenta ad divinas veritates confirmandas petenda esse docet S. Hieronymus; quod quidem verissimum est. At quid contra divinae Traditionis veritatem continet eiusmodi ratiocinatio? Nihil certe.

Obiic. V. Nihil tam facile propter hominum malitiam, vel negligentiam, quam doctrinae sola voce traditae mutatio, vel oblivio; quum praesertim doctrinae illius manifestationem sequatur longa saeculorum intercapedo. Ideo in Scriptura potius mutationi, ac oblivioni minime obnoxia, quam in Traditione, verbum suum deponere voluit Deus. Sola ergo Scriptura verbum Dei continet.

Resp. 1. Traditionis, divinae praesertim, conservandae adversus hominum malitiam, vel oblivionem non una adest via. Prima enim via est Pastorum zelus, qui et populos in doctrina divinitus accepta recte agnoscenda, ac integre servanda erudiunt, confirmantque, et haereticos talis doctrinae sententiis redarguunt, repelluntque. Altera vero est rerum, quae viva voce traditae fuerunt, frequens, ac nunquam interruptus usus. Dum enim e. g. quotidie septem Sacramenta recipiuntur, coluntur ac invocantur Sancti, pro defunctis preces adhibentur, festi dies atque solemnes agitantur, quomodo fieri potest, ut eiusmodi

rerum vel memoria deleatur, vel recta administratio depravetur? Tertia demum Sanctorum Patrum, atque Conciliorum, praesertim Oecumenicorum scripta, in quibus posterorum memoriae transmittuntur singula divinae Traditionis capita. Quod si in veteri quoque Testamento sine tot adminiculis bis mille annorum spatio ab Adam usque ad Moysen integra servata est Traditio, quanto magis in Novo?

Resp. 2. Praeter iam relatas divinae Traditionis conservandae vias, illam adesse potissimam, nec ulli errori obnoxiam, Dei scilicet providentiam, qua Deus ipse non secus ac verbum suum scriptum ab omni corruptionis labe purum servavit, verbum etiam suum viva voce traditum in Ecclesia custodivit. Numquid enim et unum, et alterum efficere non potuit Deus, qui insuperabili virtute pollet, et qui pro sempiterna hominum salute ipsum Verbum suum misit?

Sectio III.

De Ecclesia.

§. I. *Ecclesia* Graecum vocabulum est, et Latine idem sonat quod *evocatio*. Hoc autem nomine appellatur fidelium congregatio, quod ad eam omnes vocentur, vel potius quod qui in eam conveniant, a Deo vocati sint, ut ex his praesertim Apostoli sententiis constat: *Ecclesiae, quae est Corinthi... vocatis Sanctis* κλητοις ἁγιοις... *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius Iesu Christi Domini nostri* I. Cor. I. 2. 9. *Omnibus, qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis*. Rom. 1. 7. Atque hoc sensu, pro sanctorum nempe congregatione, sive hominum, sive etiam Angelorum, ut Ephes. I. 22., usurpatur Ecclesiae nomen in Novo Testamento: at in veteri etiam contraria significatione adhibetur, ita ut quandoque sanctorum, quandoque vero impiorum coetum significet; legimus enim: *Laus eius in Ecclesia Sancto-*

rum. Psalm. CXLVIII. et: *Odivi Ecclesiam malignantium.* Psalm. XXV. 5. Utriusque autem Testamenti paginae Ecclesiam interdum locum ipsum appellant, quo multi conveniunt; sic in Deuteronomio: *Non intrabit eunuchus . . . . . Ecclesiam Domini.* XXVI. 1. et in 1. ad Corinthios IX. 18: *Convenientibus vobis in Ecclesiam.*

§. II. Ecclesia definitur a S. Augustino *populus Dei*, vel *populus fidelis per universum orbem diffusus* (In Psalm. XXXIV. in Psalm. XC. Serm. 11. in Psalm. CXLIX. et de catechiz. rud. cap. III.); a S. Cypriano vero *plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens.* Quae si coniungas simul, totam Ecclesiae naturam cognosces; Augustinus enim Catholicam fidem, Cyprianus autem fidelium Pastoribus subiectionem et adhaesionem spectavit. Itaque eiusmodi erit plena et integra Ecclesiae definitio, scilicet: *baptizatorum fidelium coetus Pastoribus, et Pastorum principi adhaerentium.* Nam fides per Baptismi sacramentum recipitur, quod ideo Ecclesiae ianua

merito appellatur; Sacramentorum vero communione Pastoribus adhaerent fideles, et, quum unum Pastorum principem constituerit Christus Ecclesiae fundator, illi velut capiti subiiciuntur non modo fideles, sed et Pastores ipsi. Tria igitur ad veram Ecclesiae naturam constituendam necessario requiruntur, fides per Baptismum recepta, Sacramentorum communicatio, per quam fideles a Pastoribus pascuntur, et fidelium sub uno Capite a Christo constituto congregatio, quorum si unum tollas, non erit amplius vera Christi Ecclesia. Quum vero fides vel *formata* esse possit, illa scilicet, *quae per caritatem* operatur Gal. V. 6. vel *informis*, ea nempe quae *sine operibus mortua est* Iacob. II. 26. plures Theologi ut omnia complecterentur ac latius explicarent, Ecclesiam his verbis definiverunt, vel potius descripserunt: Ecclesia est *coetus hominum ad Christi fidem per Baptismum vocatus, et eiusdem fidei professione, ac eorumdem Sacramentorum communione sub legitimis Pastoribus, ac praecipue sub uno capite,*

Christi in terris Vicario, et S. Petri successore, adunatus. Nonnulli autem hac definitione usi sunt: Ecclesia est *Societas hominum viatorum et baptizatorum a Christo Domino instituta, sive internis fidei, spei, caritatis, sive externis communionis catholicae, eiusdemque fidei professionis vinculis colligata sub regimine Pastorum, et Pastorum principis, summi scilicet Pontificis, qui est S. Petri successor.* Attamen altera haec Ecclesiae definitio omnino adprobanda non videtur. Verba enim illa *sive internis fidei, spei, caritatis, sive externis,* etc. perperam accipi possunt, ac in duplicem errorem inducere, ut scilicet Catechumeni, qui fide spe et caritate ornentur, ad Ecclesiae corpus pertinere credantur, et *invisibili Pseudoreformatorum Ecclesiae* aperiatur via.

§. III. Ecclesia, quam definivimus, et de qua heic sermonem instituimus, est proprie Ecclesia militans, ea scilicet, quae hominibus adhuc in terra degentibus constat. Nam latiori sensu *comprehensores* etiam, beatos nem-

pe homines, qui cum Christo in coelis regnant, et *purgantes*, qui etsi praesenti vita defuncti, nondum in Coelum recepti sunt, sed in *Purgatorio* vel leves culpas expiant, vel pro remissis culpis poenas luunt, complectitur Ecclesia. Quamobrem altero hoc sensu accepta Ecclesia in tres partes dispescitur, in *triumphantem* scilicet, *purgantem*, et *militantem*.

PROPOSITIO I.

Catholica Ecclesia non ex solis praedestinatis constat; immo aliqui sunt praedestinati, qui nondum ad Catholicam Ecclesiam pertinent.

Prob. I. pars I. Scripturis. Plures enim parabolae ad *Regnum coelorum*, quo nomine Christi Ecclesiam significari indubitata res est, adumbrandum adhibentur in Evangelio, ex quibus ad Ecclesiam pertinere reprobos quoque satis aperte constat. Tales parabolae sunt *nuptiale convivium*, cui interfuit etiam ille, qui vestem nuptialem

non habens in tenebras exteriores eiectus est Matth. XXII.; *decem virgines*, quarum quinque fatuae erant, et oleo deficientes a Sponso extra domum relictae fuerunt Matth. XXV; *sagena* omne piscium genus colligens, *quam quum impleta esset, educentes, et secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt: Sic*, additur, *erit in consummatione saeculi exibunt Angeli, et separabunt malos de medio iustorum; et mittent eos in caminum ignis* Matth. XIII. 47. et seqq.; *ager* bono semine consitus, et zizaniis ab inimico infectus, quae tamen cum bona fruge permixta ad messem usque creverunt simul. *Sicut ergo*, parabolae explicationem concludit Christus, *colliguntur zizania, et igni comburuntur; sic erit in consummatione saeculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis.* Matth. ibid. 40. et seqq.; *area*, quam purgabit Dominus, *et congregabit triticum in horreum suum, pa-*

eas autem comburet igni inextinguibili. Luc. III. 17. Quid aliud enim, nisi reprobos significant homo nuptiali veste carens, fatuae virgines, mali pisces, zizania, paleae?

Prob. II. Patribus, qui allatas parabolas explicantes, in Ecclesia cum praedestinatis reprobos commisceri docent. Sic enim, ut unum et alterum exempli causa testimonium afferamus, ait S. Cyprianus: *Nam etsi in Ecclesia videntur esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut caritas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus; nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus.* Sic vero S. Gregorius Magnus: *Sciendum nobis est quod saepe in sacro eloquio Regnum coelorum praesentis temporis Ecclesia dicitur .... In qua, quia mali cum bonis, et reprobi cum electis admixti sunt, recte virginibus prudentibus et fatuis similis esse perhibetur.* Lib. I. Hom. XII. in Evang. n. 1.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate.

In Concilio enim Constantiensi (sess. XV.) damnatus est hic Ioannis Hus articulus, scilicet: *Reprobus, etsi aliquando sit in gratia secundum praesentem iustitiam, tamen nunquam pars est Sanctae Ecclesiae.*

Prob. IV. rat. Theolog: Nam primo in Scripturis qui ad Ecclesiam pertinent, ex fide, non ex praedestinatione discernuntur; siquidem legimus regeneratis omnibus dictum: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. . . . Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei.* I. Petr. II. 9. 10. Item: *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum . . . . . Nunc autem in Christo Iesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope . . . . . Ergo iam non estis hospites, et advenae, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei.* Ephes. II. 12. 13. 19. Et alibi: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Ioan. I. 12. Ac demum: *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* I. Cor. XII. 13.

Prob. V. Ex ipsa maligna novae huius doctrinae origine. Triplex enim est talis erroris a Pseudoreformatis conficti causa. Prima, ut Ecclesiae auctoritas a fundamentis everteretur. Ubi enim Ecclesia solis praedestinatis constet, legitimi Ecclesiae pastores non erunt, nisi praedestinati. Atqui praedestinatio prorsus ignota est. Ignoti erunt ergo legitimi Ecclesiae Pastores, ideoque nemo, qui se illis subiicere recuset, iure reprehendi poterit. Altera est, ne ipsi extra Ecclesiam esse coarguerentur; quis enim praedestinatos, et reprobos certa notitia exploratos habere potest? Tertia demum, ut aliquam sibi aperirent viam, quae illa cumque foret, ad demonstrandum ipsorum, ut aiunt, Ecclesiam Apostolicam esse; quum enim eorum secta Apostolicis temporibus longe posterior sit, invisibilem Ecclesiam, eam nempe quae solis praedestinatis componitur, confinxerunt, ut se ad eam ab Apostolorum aetate pertinuisse iactarent. Talis ergo doctrinae origo, maligna sane, ac absurdissima, falsitatis notam ei inurit.

Prob. II. pars. I. Scripturis. Ait nempe

Christus, de Ecclesia sua sub *ovilis* metaphora verba faciens: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Ioan. X. 16 Quid enim significat eos, de quibus heic Christus loquitur, et oves esse, et ad ovile non pertinere? Nihil aliud certe, nisi ad fidem praedestinatos fuisse, sed nondum per fidei professionem in Ecclesiam ingressos esse. Aliqui ergo ex praedestinatis nondum ad Ecclesiam pertinent.

Prob. II. Patribus. Nimirum S. Augustinus, cuius auctoritas, ubi de Praedestinatione, et Gratia sermo habetur, maximi facienda est, ait: *Secundum istam erga praescientiam Dei, et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus; et quam multae oves intus, et quam multi lupi foris. Quid est quod dixi, quam multae oves foris? Quam multi modo luxuriantur, casti futuri; quam multi blasphemant Christum, credituri in Christum; quam multi se inebriant, futuri sobrii; quam multi*

rapiunt res alienas, donaturi suas: verumtamen modo vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quam multi intus laudant, blasphematuri; casti sunt, fornicaturi; sobrii sunt, se vino postea sepulturi; stant, casuri: non sunt oves. (De praedestinatis enim loquimur; de his loquimur, quos novit Dominus, qui sunt eius). Et tamen ipsi, quamdiu recte sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt ipsi, non audiunt illi: et tamen secundum praedestinationem non oves ipsi, oves illi. Tract. XLV. in Ioan. n. 12.

Prob. III. rat. Theolog. Si enim praedestinati omnes ad Ecclesiam pertinent ideo, quod praedestinati sunt; Ethnici Iudaei, Turcae, impii quique, modo praedestinati sint, in Ecclesia esse iure meritoque dicentur, quod sane absurdissimum.

OBIECTA DILUUNTUR.

Obiic. I. *Oves* non alios vocat Christus, nisi praedestinatos; ait enim: *Et statuet oves quidem a dextris suis, hoedos autem a sinistris.* Matth. XXV. 33. et alibi: *Oves meae vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me; et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ioan. X. 27. 28. Ergo solis praedestinatis constat Ecclesia, quae est *ovile.*

Resp. *Ovium* nomine in Scripturis quandoque soli praedestinati appellantur, qui certe quidem nobilissima Ecclesiae pars sunt, ut in citatis sententiis patet; quandoque vero fideles omnes sive praedestinati, sive reprobi, ut ex aliis Scripturarum sententiis eruitur. Eiusmodi sunt exempli causa: *Iratus est furor tuus super oves pascuae tuae.* Psalm. LXXIII. 1. *Pasce oves meas.* Ioan. XXI. 17.

Obiic. II. De Christi Ecclesia verba faciens Apostolus eam *domum* appellat, *quae domus sumus nos,* addit, *si fiduciam et glo-*

riam spei usque ad finem firmam retineamus. Atqui praedestinatorum est perseverantia, de qua loquitur S. Paulus. Ergo praedestinati tantum ad Ecclesiam pertinent.

Resp. Etiam heic nobiliorem Ecclesiae partem, praedestinatos scilicet, considerat Apostolus; sed ceteros fideles ideo ab Ecclesia non separat. Idem enim ipse eamdem *domus* metaphoram alibi adhibens, reprobis quoque Ecclesiam constare satis evidenter ostendit his verbis: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia; et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam.* II. Tim. II. 20.

Obiic. III. Reprobos in Ecclesia non esse adfirmat Ioannes, sic de illis scribens: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* I. Ioan. II. 19.

Resp. Ioannes, si verborum corticem intuearis, sibi repugnantia dicere videtur; at si rem attente consideres, recte sibi constat. Ait enim eos, de quibus loquitur, et ex Eccle-

sia prodiisse, et ad Ecclesiam non pertinuisse; scilicet ex fidelium congregatione, in qua erant per fidem, per haeresim exiisse, et in praedestinatorum numero non fuisse, quia in fide non perseverarunt. Ioannis igitur verba propositionem, quam demonstravimus, magis confirmant; ostendunt enim non omnes fideles, qui Christi Ecclesiam ingrediuntur, et in ea commorantur, praedestinatos esse ad gloriam, sed quosdam a fide deficere, atque ex Ecclesia eiici.

Obiic. IV. *Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium* appellatur Ecclesia Cant. IV. 12. 15. Atqui solis praedestinatis conveniunt eiusmodi metaphorae. Ergo solis praedestinatis componitur Ecclesia.

Resp. I. Non omnia quae in Cantico Canticorum scribuntur, de Ecclesia sunt necessario intelligenda; possunt enim et de humana natura a Verbo assumpta, et de anima sanctificantis gratiae dono ornata intelligi.

Resp. II. Etiamsi de Ecclesia intelligere verba illa velimus; Ecclesia ex principaliori parte, ut alibi, describitur: at non ideo altera pars excluditur, ut ostendunt aliae Scri-

pturarum sententiae; paullo enim ante animadvertimus in Scripturis Ecclesiam quandoque ex toto corpore, quandoque ex nobilioribus membris describi.

Resp. III. Ecclesiam constituunt fides, Sacramenta, Pastores: et fidei professione, Sacramentorum usu, ac Pastoribus obedientia ad eam pertinent peccatores. Atqui fides, Sacramenta, Pastorum regimen, casta semper, sancta, inviolata sunt. Ergo Ecclesia, etiam quatenus peccatores complectitur, recte dici potest *hortus conclusus*, *fons signatus*, *puteus aquarum viventium.*

Propositio II.

Ecclesiae membra sunt non iusti tantum, sed etiam peccatores vel scelestissimi.

Prob. I. Scripturis. Omnes enim parabolae, quibus in superiori Propositione reprobos ad Ecclesiam pertinere ostendimus, alteram hanc Propositionem comprobant, atque confirmant. Nimirum si reprobi quoque in Ecclesia sunt,

quanto magis peccatores, qui non omnes reprobi sunt.

Praeterea idem demonstrant haec Christi verba: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum....... Si autem te non audierit; adhibe tecum adhuc unum vel duos....... Quod si non audiet eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* Matth. XVIII. 15. et seqq. Quaenam est namque Ecclesia, de qua ibi loquitur Christus? Sua certe quidem. In ea igitur permanent peccatores, etiam post primam, et alteram correptionem contumaces. Nec non verba illa, quae de bono, ac malo servo facit ipse Christus. Malum enim servum in familia, id est in Ecclesia, permansurum definit, donec veniat paterfamilias eum a familia divisurus. *Veniet,* inquit, *dominus servi illius......et dividet eum, partemque eius ponet cum hypocritis,* Matth. XXIV. 50. His Evangelii sententiis consonat Apostolus Corinthiis scribens, dum eos Ecclesiam Dei appellat, et nihilominus gravium, immo gravissimorum criminum

arguit. *Ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu etc. Obsecro autem vos fratres......ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.....significatum est enim mihi de vobis......quia contentiones sunt inter vos......Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes......Et vos inflati estis; et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* I. Cor. I. 2. 10. 11. et V. 1. 2.

Prob. II. Patribus. Sic enim scribit S. Hieronymus: *Arca Noe Ecclesiae typus fuit; ut in illa omnium animalium genera, ita et in hac universarum, et gentium, et morum homines sunt: ut ibi pardus, et haedi, lupus, et agni, ita et hic iusti, et peccatores, id est, vasa aurea, et argentea cum ligneis, et fictilibus commorantur.* Dial. adv. Luciferianos. Et alibi: *Quomodo caput plurima habet membra subiecta, in quibus sunt nonnulla vitiosa, et debilia; ita et Dominus noster Iesus Christus, quum sit caput Ecclesiae, habet*

membra eos omnes, qui in Ecclesia congregantur, tam sanctos videlicet, quam peccatores. Comment. in cap. I. ad Ephes. Tom. VI. Similiter S. Augustinus: *Nos fatemur, in Ecclesia Catholica, et bonos, et malos esse, sed tamquam grana, et paleas.* Tract. VI. in Ioannem. At legendus inter cetera Opera a S. Augustino scripta de hac re Breviculus Collationis, ubi refert Catholicorum contra Donatistas argumenta, quorum robore convicti Donatistae ipsi ad Ecclesiam pertinere occultos malos confessi sunt. Animadvertendum praesertim, quod Donatistis duas Ecclesias Catholicos facere dictitantibus responderunt Catholici, scilicet non duas Ecclesias, sed duo eiusdem Ecclesiae tempora se distinguere. *Eandem ipsam, unam, et sanctam Ecclesiam,* refert Augustinus, *dixerunt nunc esse aliter, tunc aliter futuram, nunc habere malos mixtos, tunc non habituram, sicut non ideo duo Christi sunt, quia aliquando mortalis, aliquando immortalis fuerit Christus.* Brevic. collat. tert. diei.

Prob. III. rat. Theolog. Primo enim inter

cetera Sacramenta, quae Christus Ecclesiae suae reliquit, numeratur Poenitentia, per quam peccatores etiam improbissimi ad bonam frugem redire possunt. Hoc autem Sacramentum non nisi iis, qui in Ecclesia sunt, administratur. Ergo etiam mali, immo et pessimi in Ecclesia sunt. Deinde, quum quinam sint mali, quinam boni, certum omnino exploratumque esse non possit, si Ecclesia solis iustis constaret, ne definiri quidem posset quibus constet Ecclesia. Demum si ad Ecclesiam non pertinerent mali homines, mira in Ecclesia rerum confusio, ac ordinis perturbatio omnia misceret. Praepositis enim malis non obedirent subditi, et malos subditos non regerent praepositi. Quid vero dici potest magis absonum, atque absurdum?

OBIECTA DILUUNTUR.

Obiic. I. In Ecclesia nullum futurum immundum praedicit Isaias; ait enim: *Non adiiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus, et immundus.....Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere,*

exite de medio eius. Isai. LII. 1. 11. Quae verba ad Ecclesiam referens Apostolus addit: *Et ego recipiam vos.* II. Cor.VI. 18. Item Ecclesiam sic compellat divinus eius Sponsus: *Tota pulchra es, amica mea. et macula non est in te.* Cant. IV. 7. Ergo peccatores, immundi quum sint, et culparum maculis infecti, in Ecclesia non sunt.

Resp. I. Illae Scripturarum sententiae de coelesti, seu triumphante Ecclesia, non de terrena seu militante loquuntur, ut Isaiae sententiam explicans animadvertit S. Augustinus: *Ecce manifestum est*, ait, *quod dicebatur a nobis, distinguenda esse tempora Ecclesiae: non eam nunc esse talem, qualis post resurrectionem futura est; nunc malos habere permixtos, tunc omnino non habituram; ad illam eius puritatem, non ad huius temporis permixtionem illa divina testimonia pertinere, quibus eam Deus praedixit ab omni malorum permixtione penitus alienam. Ecce etiam ipsi veritate Evangelica non aliud coacti sunt confiteri, qui malos occultos nunc ei permixtos esse dixerunt.* Ad Donatistas post Collationem

cap. IX. n. 12. Et alibi: *Ubicumque Ecclesiam commemoravi non habentem maculam, neque rugam, non sic accipienda est quasi iam sit; sed quae praeparatur, ut sit, quando apparebit etiam gloriosa: nunc enim propter quasdam ignorantias, et infirmitates membrorum habet unde quotidie dicat » Dimitte nobis debita nostra »:* Retract. Lib. II. cap. XVIII.

Resp. II. De temporali Iudaeorum Republica loquitur litterali sensu Isaias, per quam, Iudaeis a captivitate solutis, non transiturum diu animo hostili incircumcisum et immundum, ut ex contextu patet, pollicetur Deus. Allegorico vero sensu de Idololatriae destructione loquitur; praedicit scilicet, Gentes ab Idolis ad verum Deum colendum convertendas per Christum; nullumque in Gentibus ad fidem conversis fore Idololatram. Nec non adversus Ecclesiam non praevalituros daemones, κατ' ἐξοχὴν incircumcisos et inmundos, praedicit; fidelesque monet ut ab impiorum coetibus recedant, quemadmodum ostendit Apostolus Isaiae verba explicans: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim*

participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial? aut quae pars fideli cum infideli? Qui autem consensus Templo Dei cum idolis? Vos enim estis Templum Dei vivi etc. II. Cor. VI. 14, et seqq. Deinde peccatores, ad Ecclesiam pertinent, non quatenus peccatores seu propter peccata, sed quatenus fideles, scilice propter fidem, et Sacramentorum usum. Atqui in fide, et in Sacramentis nihil nisi purum et sanctum. Ergo Ecclesia etsi iustis et peccatoribus componatur, tota nihilominus pura, munda, et immaculata iure meritoque dicitur. Denique quum vel Synagogae, vel Ecclesiae beneficia pollicetur Deus, ad opera sua spectat, non ad hominum malitiam, qui operibus divinis abutentur, ideoque ea exponit, quae ipse facturus est, non quae homines per libertatis abusum operibus suis opponent. Atque ita explicatur, cur aliquando effectum suum non consequantur divinae promissiones; quia scilicet divinae beneficentiae propriam malignitatem obiiciant homines.

Obiic. II. Peccatores sunt Diaboli membra.

Ergo non possunt esse simul Christi membra. Atqui Christi membra sunt qui ad Ecclesiam, scilicet ad Christi corpus pertinent. Ergo peccatores non sunt in Ecclesia.

Respondeo S. Augustini animadversione, qui aperte ostendit quomodo peccatores diversa ratione et ad Christum pertineant, et ad Christum ipsum non pertineant. *Qui sacramenta habent*, sic ratiocinatur, *et bonos mores non habent, et Dei dicuntur, et non Dei; et eius dicuntur, et alieni; eius propter ipsius Sacramentum; alieni propter proprium vitium.* In Psalm. XLVII. n. 8. Praeterea si *omnis viri caput Christus est.* 1. Cor. XI. 3. viri scilicet etiam infidelis, cur peccatorum ipsi per fidem, et Sacramenta coniunctorum caput esse nequit? Denique fideles omnes Dei filios appellat Scriptura, et tamen inter eos sunt multi, qui per peccatum Diaboli filii sunt. *Omnes enim*, inquit Apostolus, *filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu.* Gal. III. 26.

Propositio III.

Vera Christi Ecclesia » Una, Sancta, Catholica, Apostolica » est.

Antequam propositionem hanc demonstrandam aggrediamur, aliqua, ad propositionem ipsam recte intelligendam necessaria, sunt praenotanda.

§. I. Ac primum illud est animadvertendum quod necessario adsignandae sint notae aliquae, quibus vera Christi Ecclesia inter tot Societates nomen hoc sibi adrogantes discernatur. Si enim Deus *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* I. Tim. II. 4. Ecclesia, in qua sola inveniri potest veritas et salus, facile ab omnibus qui velint, dignosci debet. *Quo ergo signo manifesto*, ad rem sic interrogantem Catechumenum quemdam introducit S. Augustinus, *adhuc parvulus, et nondum valens liquidam discernere a tot erroribus veritatem, quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi, in quem iam credere*

tanta rerum antea praedictarum manifestatione compellor? Contra, Faustum. Lib. XIII. Cap. III.

§. II. Deinde animadvertendum ex omnibus Ecclesiae proprietatibus quatuor praedictas, Christi scilicet Ecclesiam *unam*, *sanctam*, *Catholicam*, *Apostolicam* esse, Ecclesiae *notas* appellari. Nimirum non quaevis rei alicuius proprietas *nota* dici potest; sed *notae* nomen illis tantum proprietatibus convenit, quae tales sint, ut per eas res facile dignosci possit, et a qualibet alia distingui. Ex qua *notae* determinatione consequitur ad *notam* constituendam tria requiri; primum nempe quod ita rei insit, ut cuilibet alii haud conveniat; alterum quod ab ipsa re nunquam separari possit; tertium, quod ipsa re notior sit. Si enim deesset primum, res cum altera, cui eadem proprietas competit, confundi posset; si alterum, non posset quovis casu per *notam* res dignosci; si tertium, rei ipsius ab aliis discretio facilis non esset.

§. III. Quibus positis, *puram verbi praedicationem*, et *legitimam Sacramentorum administrationem*, quas pro Ecclesiae *notis*

exhibent Protestantes (1), tales non esse facile concludet quisquis brevi consideratione in eas animum advertat. Nec enim sunt illae Ecclesia notiores, nec ita soli Ecclesiae conveniunt, ut nunquam, iuxta Protestantium sententiam, ab ea separari queant. Nimirum quomodo *pura verbi praedicatio*, *et legitima Sacramentorum administratio* Ecclesia notiores sunt, si ne illud quidem sine Ecclesiae definitione, quinam scilicet sint sacrarum Scripturarum libri (in quibus tantum, ipsorum sententia, et purum Dei verbum, et rectam Sacramentorum administrationem docemur) constare potest, ut iam pag. 46. et seqq. demonstravimus? Praeterea innumerae haereticorum sectae se purum verbum Dei praedicare, et recte Sacramenta administrare

---

(1) *Si de propriis, et essentialibus notis sermo sit*, scribit Gerardus Lutheranus, *omnes uno ore dicimus tales Ecclesiae notas esse duas, puram verbi praedicationem, et legitimam Sacramentorum administrationem* ». cap. X. n. 126. *Biblia, et Baptismum* appellant alii.

clamant. Qua igitur ratione veram Christi Ecclesiam inter eas quilibet dignoscere poterit? Insuper ubinam gentium vera Christi Ecclesia inveniebatur ante Lutheri, et Calvini tempora, si isti primum Dei verbum purum praedicarunt, et rectam Sacramentorum administrationem docuerunt, quum et unum et alterum multis iam a saeculis depravatum fuisset, ut dictitant? Vel dicendum nullibi, vel in invisibili praedestinatorum coetu. Si nullibi, a Christo ad Lutheri, et Calvini usque tempora defecit Ecclesia, quod fieri non posse, ubi de Ecclesiae indefectibilitate sermo erit, demonstrabimus; si in invisibili praedestinatorum coetu, quum invisibile per visibiles notas non facile discernatur, in exhibendis Ecclesiae notis frustra laborant Protestantes.

§. III. Exclusis falsis Protestantium notis, veras Patrum, ac Theologorum alii alias proferunt, sed quae vel plures, vel pauciores ad idem facillime reducuntur. Praecipuas attingamus. Duas assignat S. Hieronymus; illa nempe, eius sententia, est vera Christi Ecclesia, *quae ab Apostolis fundata usque*

ad diem hanc durat, Dial. advers. Luciferianos, n. 27. Tres Lirinensis, *universitatem*, *antiquitatem*, *consensionem*, Commonitor. III. Quatuor S. Augustinus: *In Catholica enim Ecclesia*, inquit, *ut omittam sincerissimam sapientiam*, etc. *multa sunt alia, quae in eius gremio me iustissime teneant. Tenet consensio populorum, atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum; tenet postremo ipsum Catholicae nomen*, Contra Epist. Manichaei, quam vocant *Fundamenti* Cap. IV. n. 5. Quindecim Bellarminus, quae sunt *ipsum nomen Catholicum, antiquitas, duratio non interrupta, credentium multitudo et varietas, successio Episcoporum in Romana Ecclesia ab Apostolis deducta usque ad nos, conspiratio in doctrina cum antiqua Ecclesia, unio membrorum inter se, et cum capite Romano Pontifice, sanctitas doctrinae, doctrinae*

convertentis animas efficacia, sanctitas Patrum, gloria miraculorum, lumen propheticum, adversariorum confessio, infelix Ecclesiam oppugnantium exitus, felicitas Ecclesiae propugnatoribus divinitus collata. Lib. IX. cap. IV. et seq. At omnes fere Theologi quatuor illas exhibent, quas ex Nicaeno Symbolo habemus, ubi credere profitemur *unam, sanctam, catholicam, et Apostolicam Ecclesiam.* Ad has autem facile reducuntur aliae, ut de suis fatetur Bellarminus. Ibid. cap. III.

§. IV. Duo autem, ubi de Ecclesiae notis sermo est, expendenda sunt: alterum scilicet, eas profecto esse veras Ecclesiae Christi notas; alterum non alii, quam Ecclesiae Catholico-Romanae, ipsas convenire, ideoque solam Catholico-Romanam esse Christi Ecclesiam, ceteras esse *Antichristi synagogas,* ut appellat S. Hieronymus. Nos primam partem in hac propositione, alteram in postrema demonstrabimus.

1.

Vera Christi Ecclesia est una.

Variis unitatis rationibus Christi Ecclesia una est, nempe *unitate corporis;* siquidem *multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*, Rom. XII. 5. *unitate spiritus; quoniam in uno spiritu omnes nos..... baptizati sumus..... et omnes in uno spiritu potati sumus*, I. Cor. XII. 13. *unitate spei*, scilicet *in una spe vocationis*, Ephes IV. 4. unitate Dei, Domini, et Patris; quandoquidem *nobis unus Deus pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Rom. VIII. 6. At unitatis rationes magis perspicuae, et evidentes, quae ideo Ecclesiae notam constituunt, sunt *unitas doctrinae*, et *unitas Capitis visibilis, Christi vicarii, summi videlicet Pontificis*, ad quam duplicem unitatem praecipue spectant Scripturarum, Patrumque sententiae, ut ex argumentis, quae mox afferemus, patebit.

Prob. I. Scripturis. Nimirum quod *ad unitatem doctrinae*, in qua tenenda concordent omnia Ecclesia membra, cum Dei unitate doctrinae unitatem coniungit Apostolus: *Unus Dominus, una fides*, Ephes. IV. 5. Et re quidem vera quum fidei Auctor sit Christus, ipsa scilicet veritas, ideoque veritas sibi semper concordissima, discordes doctrinas credendas proponere nequit. *Non est dissensionis Deus, sed pacis*, I. Cor. XIV. 33. *Atque omne Regnum divisum contra se desolabitur, et omnis civitas, vel domus divisa contra se non stabit*, Matth. XII. 25. Quod vero *ad unitatem capitis*, Ecclesia *corpori*, Ephes. IV. 4. *Regno* Dan. II. 44. *domui*, I. Tim. III. 15. *aciei ordinatae*, Cant. VI. 9. comparatur. Atqui corpori praeest caput, Regno Rex, domui paterfamilias, aciei ordinatae dux. Ergo Ecclesiae quoque unus praesit oportet, qui capitis rationem habeat. Praeest autem Ecclesiae Christus; *ipsum* enim (scilicet Christum Pater) *dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius*, Ephes. I. 22. 23. Christus vero, terram visibili praesentia relicturus, Petrum, cui Romanus

Pontifex succedit, visibile Ecclesiae caput constituit, quum illi dixit semel et iterum: *Pasce agnos meos*, ac tertio: *Pasce oves meas*, Ioan. XXI. 15. et seqq. Quod ante illi promiserat dicens: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni Coelorum.* Matth. XVI. 18. 19.

Prob. II. Patribus, qui omnes Romanam Cathedram, ut unitatis doctrinae a Christo traditae centrum, ac universae Ecclesiae Praepositi sedem, agnoverunt, ac praedicarunt. Nimirum *ad hanc Ecclesiam* (Romanam scilicet), inquit S. Irenaeus, *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, Traditio.* Lib. III. adv. Haeres. cap. III. *Super illum unum* (Petrum), ait S. Cyprianus, qui integrum librum *de Unitate Ecclesiae* scripsit, *aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem*

suam parem potestatem tribuat . . . . . . tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, et unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. . . . . Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur, et resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? De unitate Ecclesiae. *Ego Beatitudini tuae,* Damaso Pontifici scribit S. Hieronymus, *id est Cathedrae Petri communione consocior; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio: quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum; quicumque tecum non colligit, spargit; id est qui Christi non est, Antichristi est.* Idem docent Tertullianus, et S. Epiphanius, cuius testimonia, ubi Ecclesiam esse Apostolicam demonstramus, referimus.

Scholium.

Argumenta, quibus Ecclesiae unitatem demonstravimus, effugium a Protestante Ministro Iurieu prae ceteris excogitatum penitus evertunt. Iste enim, ut Protestantes omnes quamvis in doctrina dissidentes unam tamen Ecclesiam componere ostenderet, revelatas doctrinas in *fundamentales*, *et non fundamentales* discrevit, atque omnes *qui fundamentales articulos* veluti Trinitatem, et Incarnationem profiterentur, etsi *articulos non fundamentales*, ceteras nempe doctrinas ab Ecclesia definitas, atque fide retinendas fidelibus propositas, negarent, ad eamdem Christi Ecclesiam pertinere confinxit. Atqui novum prorsus ac inauditum est huiusmodi discrimen. Quis enim umquam Sanctorum Patrum, et Ecclesiae Doctorum ab Ecclesiae initio ad decimum septimum usque saeculum revelatas veritates hac ratione discrevit? Ne unus quidem. Immo contrarium docuerunt uno ore omnes ab Ecclesia quoslibet vel haereticos, vel schismaticos sive *articulos*

fundamentales, sive *non fundamentales* negarent, pariter excludentes, eosque ubi resipiscerent, in Ecclesiam rursus recipientes. Nimirum haereticos generatim Antichristo, qui certe ad Ecclesiam non pertinebit, comparat Tertullianus : *Nunc sunt haereses non minus doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessentes, quam tunc Antichristus persecutionum atrocitate persequetur.* De Praescript. cap. IV. Atque eadem ratione haereticos omnes Antichristi Synagogam, non Christi Ecclesiam conflare adfirmat S. Hieronymus : *Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non a Domino Iesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, utputa Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas, scito non esse Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.* Dial. adv. Luciferian. in fine. S. Irenaeus vero peculiares Ecclesias in variis orbis regionibus degentes ideo unam Ecclesiam componere affirmat, *quod, etsi loquelae dissimiles sint, non tamen aliter credant.* Adv. Haer. Lib. I. cap. X. Qui ergo aliter credunt, ad unam Christi Eccle-

siam non pertinent. Atque alibi generatim quoscumque haereticos uni Ecclesiae opponit. Ibid. Lib. III. cap. IV. Praeterea Novatianos ad Catholicam Ecclesiam redeuntes manuum impositione rursum in Ecclesiam recipi iubet Nicaena Synodus Can. VIII. quae Synodus Quartodecimanos quoque excommunicavit, qui nullum fundamentalem articulum certe negabant, sed tantum generali Ecclesiae decreto de die Paschatis celebrandi resistebant. Deinde sic haereticos definit Constantinopolitana prima Synodus: *Haereticos dicimus et qui olim ab Ecclesia eiecti sunt, et qui sunt postea a nobis anathematizati.* Can. VI. Atque ita semper quemlibet errorem revelatae doctrinae contrarium, quemlibet hominem generali Ecclesiae decreto resistentem nullo discrimine condemnavit Ecclesia ipsa. Consequens ergo est, ut vel tota Ecclesia decem et sex saeculorum spatio erraverit; vel erret Iurieu. Atqui primum maxime absurdum. Alterum igitur verum sit oportet. Praeterquam quod ista Iurieu distinctio incredibilis, et absurda est. Qua enim ratione ad Ecclesiam, quae est

columna, *et firmamentum veritatis*, I. Tim. III. 15. pertinere potest, qui veritatem semper et ab omnibus in Ecclesia susceptam, ac retentam, obstinatus repudiat? Hoc adserere idem est, ac errorem veritatis partem esse adfirmare, quo certe nihil absurdius. Denique secundum Iurieu systema, omnes omnino haeretici, illi quoque qui Trinitatem, et Incarnationem negant, se *in articulis non fundamentalibus* errare adfirmabunt, ac Sociniani ipsi, qui nullum Mysterium agnoscunt, Mysteria omnia non esse fundamentalia dictitabunt. Itaque fides evanescet, ut in Socinianis evanuit; ideoque ad fidei destructionem tendunt Pseudo-Reformatorum principia.

OBIECTA DILUUNTUR.

Obiic. I. verba illa Apostoli; *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus; si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, sipulam .....*

uniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet, si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. I. Cor. III. 11. et seqq. Qui *ligna foenum, stipulam,* sic Pauli sententiam interpretatur Iurieu, fundamento, quod est Christus, superaedificant, ii sunt qui *fundamentales articulos* firma fide retinentes, *non fundamentales errores* superstruunt. Ergo etiam hi salvi erunt secundum Apostoli doctrinam, ideoque ad Ecclesiam pertinent.

Resp. Hac Pauli sententia, abutitur Iurieu quae una ex illis est, de quibus pronunciat Petrus de Pauli Epistolis sermonem instituens: *Sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* II. Petri III. 16. At, quamquam variae sint allatae Apostoli sententiae interpretationes, interpretatio tamen Iurieu falsa et absurda omnino est. Quo enim modo super Christum veluti super fundamentum superaedificare potest, qui errores quoscumque veritatibus a

Christo per Ecclesiam traditis oppositos profitetur, quum Christus sit ipsa veritas, et veritati adversetur quicumque error? Praeterquamquod Christus cum Ecclesia unum et idem est, veluti caput cum corpore. Itaque non superstruit super Christum, fundamentum, qui doctrinas ab Ecclesia damnatas retinet, sed Christum, fundamentum, destruit. Frustra ergo ad praedicta Apostoli verba confugit Iurieu.

Obiic. II. Mosaicae Legis aemulatores etsi post Hierosolymitani Concilii de non subiiciendis Mosaicae Legis iugo gentibus definitionem errarent, quia tamen *in articulo non fundamentali* errabant, ad Christi Ecclesiam pertinebant, ut patet ex Act. Apost. XXI. 20. et seqq. Ergo haereticorum, qui in articulis non fundamentalibus errant, societates ad Ecclesiam pertinent.

Resp. Mosaicae Legis aemulatorum duplex genus distinguendum est: alterum eorum, qui Mosaicas caeremonias, ut bonas et licitas, non vero ad aeternam salutem necessarias, Legis honorandae causa, retinebant; alterum autem eorum, qui ideo Mosaicos ritus adhi-

bebant, quod ad aeternam salutem obtinendam necessarios putabant. Primi generis aemulatores Hierosolymitanae Synodi definitioni non repugnabant, ideoque haeretici non erant, et ad Ecclesiam pertinebant. Alterius vero generis aemulatores, quia errorem Hierosolymitanae definitioni contrarium retinebant, haeretici erant, ideoque ad Ecclesiam non pertinebant. Nimirum idem ille Paulus, qui cum quatuor viris Nazaraeorum votum solvit, ut citato Actor. Apostol. loco narratur; eos, qui Mosaicas caeremonias ad salutem necessarias arbitrabantur, aperte damnat, atque ab Ecclesia excludit: *Ego Paulus dico vobis, quod si circumcidamin, nihil vobis proderit Christus. . . . . . . evacuati estis a Christo, qui in Lege iustificamini; a gratia excidistis.* Gal. V. 2. 4.

Obiic. III. Multos fide praeditos per Baptismum generant Haereticorum Societates. Ergo ad veram Ecclesiam pertinent.

Resp. Aliud est Baptismum a Christo institutum administrare, ac per eum fideles, vera Ecclesiae membra, gignere; aliud ad veram Ecclesiam pertinere. Baptismum enim

administrant etiam haeretici in fundamentalibus articulis errantes, immo administrare possunt ipsi infideles; nihilo tamen minus eos ad Ecclesiam non pertinere fatetur ipse Iurieu. Dicendum ergo verum Baptismum, quicumque illum administret, verae Ecclesiae nomine administrari, ideoque per ipsum fideles, verae Ecclesiae membra, gigni. Quod quidem significavit S. Augustinus, ubi Donatistis respondet: *Quasi vero ex hoc generet* (haereticorum societas) *unde separata est, et non ex hoc, unde coniuncta est. Separata est enim a vinculo caritatis et pacis; sed iuncta est in uno baptismate. Itaque est una Ecclesia, quae Catholica nominatur; et quidquid suum habet in communionibus diversorum a sua unitate separatis, per hoc quod suum in eis habet, ipsa utique generat, non illae. . . . . . . Ergo ipsa generat et per uterum suum, et per uteros ancillarum, ex eisdem sacramentis, tanquam ex viri sui semine. Non enim frustra dicit Apostolus omnia illa in figura esse gesta. Sed qui superbiunt, et legitimae matri non adiunguntur, similes*

sunt Ismaeli, de quo dictum est « Eiice ancillam, et filium eius, non enim haeres erit filius ancillae cum filio meo Isaac » De Baptismo contra Donatistas. Lib. I. cap. X. n. 14. Et paullo post : *Non Baptismum vestrum acceptamus, quia non est Baptismus ille schismaticorum, vel haereticorum, sed Dei, et Ecclesiae, ubicumque fuerit inventus, et quocumque translatus.* Ibid. cap XIV. n. 22.

Obiic. IV. Doctrina, quae haereticos in articulis non fundamentalibus errantes ab aeterna vita excludit, nimis inhumana, et saeva est. Ergo falsa.

Resp. Ex eo quod doctrina aliqua a Deo evidenter manifestata, saeva nobis et dura videatur, non consequitur eam esse reiiciendam. Si namque id admiserimus, negandum foret multos esse vocatos, paucos vero electos; arctam esse viam, quae ducit ad vitam, et paucos ambulare per eam; aliaque his similia : quae nobis, dura ac saeva videntur, attamen a Christo apertissime adfirmantur. Quid ergo? Deo, quidquid docet, adhibenda fides, et rationis humanae imbecillitati indicendum silentium.

Obiic. V. Ecclesia, nisi haereticos in articulis fundamentalibus non errantes, sinu suo complectatur, Catholica non erit. Ergo tales Haeretici ad Ecclesiam pertinent.

Resp. Falsum est prorsus antecedens. Si enim haereticos praedictos sinu suo complecteretur Ecclesia, quod accidere non posse iam demonstravimus, numero fieret maior, sed non magis Catholica, seu universalis; ubicumque enim haeretici, sunt, ibi et Catholici reperiuntur. Ecclesia ergo, haereticis omnibus exclusis, Catholica nihilominus est, tum quia per maximam orbis partem diffunditur; tum quia ad eam pertinent parvuli omnes etiam ab haereticis baptizati, ut cum Augustino paullo ante probavimus; tum quia saeculis procedentibus in variis orbis partibus praedicatur et suscipitur Evangelium secundum Prophetias, quae fidem ubique annunciandam, non ubique retinendam promittunt.

2

Vera Christi Ecclesia est Sancta.

Variis rationibus vera Christi Ecclesia sancta est. Talis est enim primo *ratione capitis*; nam *Christus caput e t Ecclesiae*, Ephes. V. 23; secundo *ratione electionis et vocationis*, siquidem *elegit nos* (Deus) *in ipso* (Christo scilicet) *ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate*, Ephes. I. 4. insuper *non vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem*, I. Thess. IV. 7. tertio *ratione Spiritus sanctificantis;* scriptum est enim: *ut fiat oblatio gentium accepta, et sanctificata in Spiritu Sancto*, Rom. XV. 16. et alibi: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae*, Tit. III. 5. et seqq. At rationes magis con-

spicuae et evidentes sunt *doctrina sancta*, quam profitetur Ecclesia, *in sanctificatione spiritus, et fide veritatis.* II. Thessal. II. 13. doctrina nempe et speculative, et practice sancta; praecipua eius membra quae sanctitate ornantur; *melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii*, Eccli. XVI. 3., nunquam vero in vera Christi Ecclesia deerunt non unus sed multi sanctitate non ordinaria insignes. Utrumque demonstrandum adorimur.

Prob. I. Scripturis. Nimirum quod ad doctrinam tum speculative, tum practice sanctam, Ecclesiae doctrina Christum habet auctorem, qui est *via, veritas, et vita.* Ioan. XIV. 6., et qui Spiritum Sanctum suum Apostolis promisit dicens: *Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: Ibid. XVI. 13. Praeterea *lex Domini immaculata convertens animas; testimonium Domini fidele sapientiam praestans parvulis: iustitiae Domini rectae.... praeceptum Domini lucidum... iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa*, Psalm. XVIII. 8. et seqq. Quod vero ad

membrorum Ecclesiae sanctitatem: Filius Dei homo-factus est, *ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate, et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris*, Luc I. 74. 75. Atque homo factus *seipsum tradidit pro ea* (Ecclesia) *ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta, et immaculata*, Ephes. V. 25. et seqq. nec non *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*. Tit. II. 14. Nec aliter fieri poterat, quoniam Ecclesiae *est Caput Cristus, ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate*. Ephes. IV. 15. 16.

Prob. II. ex Patribus, qui uno ore sive citata Scripturarum loca, aliaque similia explicent; sive divinam Ecclesiae institutionem a

Christo factam infidelibus demonstrent; sive fidelibus Cristianae legis officia rememorent: veram Christi Ecclesiam sanctam esse, ac nunquam in ea homines sanctitate insignes defuisse ostendunt; adeo ut singula illorum testimonia referre supervacaneum omnino videatur.

3.

Vera Christi Ecclesia Catholica est.

Triplici sensu Καθολικη, *universalis* sit oportet Christi Ecclesia. Catholica *quod ad doctrinam*, quae scilicet omnino omnia a Christo tradita profiteatur; catholica *quod ad tempus*, quae nempe a Christo, et Apostolis ad nos usque stabilis perdurarit; catholica *quod ad locum*, scilicet per totum orbem diffusa. Catholica priori sensu ostenditur a Christo, dum Apostolis verbi praedicationem, et Sacramentorum administrationem imperans addit: *docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis*. Matth. XXVIII. 20. At hoc sensu *Catholica* idem sonat, ac *una*

unitate doctrinae, de qua iam ratiocinati sumus. Altero sensu Catholicam futuram Ecclesiam suam Christus ipse ostendit, quum Apostolis promittit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Ibidem. Atque tali sensu *Catholica*, idem est ac *Apostolica*, de qua Ecclesiae nota postremo loco verba facturi sumus. Demonstrandum igitur superest Christi Ecclesiam *Catholicam* esse quod ad locum.

Prob. I. Scripturis. Talem enim futuram saepissime praedicit in Scripturis Deus. Nimirum ad Ecclesiam spectant Abrahae, Isaac, Iacob de universis gentibus in eorum semine benedicendis factae promissiones. Abrahae sic pollicitus est Deus: *Faciam te in gentem magnam . . . . . atque in te benedicentur universae cognationes terrae.* Gen. XII. 2. 3. quae quidem verba de Ecclesia Christi interpretatur Apostolus: *Providens autem Scriptura, ... praenuntiavit Abrahae « Quia benedicentur in te omnes gentes »* Gal III. 8. Et alibi eidem Abrahae pollicetur Deus: *Multiplicabo semen tuum*

sicut stellas coeli, et velut arenam, quae est, in littore maris . . . . . et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae. Gen XXII. 17. 18. atque eodem sensu explicat Apostolus: *Abrahae dictae sunt promissiones, te semini eius. Non dicit in seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno: « Et semini tuo » qui est Christus.* Gal. III. 16. Easdem pollicitationes iisdem verbis repetiit Deus Isaac, Gen. XXVI. 4., et Iacob. XXVIII. 14. Ad Christi Ecclesiam quoque pertinent, et eam longe lateque diffundendam demonstrant, prophetiae. Scribit enim Isaias: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquae operientes. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Isai. XI. 9. 10. quae verba de Ecclesia dici ostendit Paulus Rom. XII. 15. et alibi de Christo idem Isaias *Deus meus factus est fortitudo mea; et dixit: Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, et faeces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Isai. XLIX 5. 6. Ecclesiam vero his

verbis designari confirmant Acta Apostolorum XIII. 47. At haec toties, ac tanta perspicuitate prophetat Isaias, ut merito exclamet Augustinus: *Quis tam surdus, quis tam demens, quis tam mente caecus, ut his tam evidentibus testimoniis obloquatur?* in Epistola contra Donatistas vulgo De unitate Ecclesiae cap. VII. n. 16. Idem praedicit Psalmista: *Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes, et inimici eius terram lingent. Reges Tharsis, et insulae munera offerent, Reges Arabum, et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges terrae, omnes Gentes servient ei . . . . Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae; omnes gentes magnificabunt eum. Et replebitur maiestate eius omnis terra; fiat fiat.* Psalm. LXXI. 8. et seqq. Quae verba referens Augustinus sic Donatistas alloquitur: *Ite nunc Donatistae, et clamate: non fiat, non fiat. Vicit vos Dei verbum dicens « Fiat, fiat » Ecce manifestata est in Psalmis Ecclesia toto orbe diffusa, super quam requiescit*

gloria Regis eius. Ibidem cap. VIII. n. 22.

19. Simili ratione in Novo Testamento Ecclesiam universalem fore praedicitur. *Praedicabitur hoc Evangelium Regni,* ait Christus, *in universo orbe in testimonium omnibus gentibus.* Matth. XXIV. 14. *Euntes in mundum universum,* Apostolis imperat Christus ipse, *praedicate Evangelium omni creaturae.* Marc. XVI. 15. Et alibi: *Eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Act. I. 8. *Quod* (Evangelium) *pervenit ad vos,* Colossensibus scribit Apostolus, *sicut et in universo Mundo est, et fructificat, et crescit.* I. 6. Atqui fieri omnino nequit ut tot ac tam variae divinae pollicitationes, ac praedictiones effectu careant.

Prob. II. Patribus, qui non solum eiusmodi notam Ecclesiae Christi tribuerunt, sed etiam ipsum *Catholicae* nomen ut Christi Ecclesiae notam habuerunt. Nimirum sic scribit S. Cyprianus: *Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento fecundita-*

tis extenditur . . . . . . Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit . . . . . ramos suos in universam terram copia ubertatis expandit, profluentes largiter rivos latius effundit. De Unitate Ecclesiae. S. Augustinus vero, praeterquamquod plura capita consumpsit de hac verae Ecclesiae nota in libro de Unitate Ecclesiae contra Donatistas, sic alibi loquitur: *Tenenda est nobis Christiana Religio, et eius Ecclesiae communicatio, quae Catholica est, et Catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolint, ipsi quoque haeretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo Orbe nuncupatur.* S. Aug. de vera Relig. cap. VII. n. 12. Deinde S. Vincentius Lirinensis haec Apostoli verba *profanas vocum novitates devita* explicans, ait: *Quas recipere, atque sectari, nunquam Catholicorum, semper vero haereticorum fuit. Et revera quae*

unquam haeresis, nisi sub certo nomine certo loco, certo tempore ebullivit? Quis unquam haereses instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiae Catholicae universitatis, et antiquitatis consensione discreverit? Commonitor. cap. XXXIV. Praeterea monet S. Cyrillus Hierosolymitanus: *Si iveris in aliquam urbem, non petas, ubi sit Ecclesia Dei, vel domus Dei; nam etiam haeretici dicunt se habere domum Dei, et Ecclesiam: sed petas ubi sit Catholica Ecclesia: id enim nomen proprium est huius sanctae Ecclesiae matris omnium nostrum.* Catech. XVIII. *Certe*, addit S. Pacianus, *non est ab homine mutuatum, quod per saecula tanta non cecidit. Catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec haereticos novit Auctores...... Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit.* Epist. ad Sempronianum T. 1. pag. 304. Bibl. Patrum. *Tenet me in Ecclesia*, concludit S. Augustinus, *ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut*

quum omnes haeretici se Catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Contra Epist. Manichaei vulgo Fundamenti dictam cap. IV.

Vera Christi Ecclesia Apostolica est.

Triplici ratione est *Apostolica* Christi Ecclesia: primum quia per Apostolos eam fundavit, ac propagavit Christus; secundo quod in ea nunquam defecerint Apostolorum successores; tertio quod Apostolorum doctrinam integram, illibatamque semper servaverit.

Prob. I. Scripturis. Apostolos enim ad divinum verbum praedicandum, Sacramentaque administranda mittens sic alloquutus est Christus: *Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Matth. XXVIII.

18. et seqq. Itaque Ecclesiam suam per Apostolos fundavit Christus; Apostolorum doctrinam, seu doctrinam divinam per Apostolos praedicatam Ecclesiae suae reliquit; quam quidem doctrinam ministerio Apostolorum eorumque, qui Apostolis non interrupta serie succederent se integram, illibatamque in Ecclesia servaturum promisit. Nimirum Apostoli erant, ut mortales, morituri; attamen cum ipsis omnibus diebus ad finem usque Mundi se futurum pollicitus est Christus: ipsi igitur in successoribus suis superstites sunt, eruntque semper. Ecclesiam enim perpetuo duraturam constituit Christus quomodo et veteris, et novi Testamenti prophetiae clarissime praedicunt. In antiquo scribit Daniel: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli Regnum* (Ecclesiam scilicet) *quod in aeternum non dissipabitur, et Regnum eius alteri populo non tradetur*: *comminuet autem, et consumet universa Regna haec; et ipsum stabit in aeternum*. II. 44. In Novo sic Angelum de Christo ad Mariam verba fecisse legimus: *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi*

Dominus Deus sedem David patris eius; et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis. Luc. I. 32. 33. Hoc autem Regnum in aeternum duraturum super Apostolos fundavit, ut scribit Paulus: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum.* Ephes. II. 20.

Prob. II. Patribus, qui, haereticis doctrinae novitatem exprobrantes, eam esse veram Christi Ecclesiam ostenderunt, quae a Christo per Apostolos fundata, ac propagata Apostolicam doctrinam integram servaverit, et Apostolorum successores in Romana praesertim Cathedra nunquam non habuerit. De Apostolis enim sic loquitur Tertullianus: *Primo per Iudaeam contestata fide in Iesum Christum, et Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, et semina doctrinae ceterae exinde Ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur, ut Ecclesiae fiant. Ac per hoc et ipsae Apostolicae deputantur, ut soboles Apostoli-*

carum Ecclesiarum.... Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot, ac tantae Ecclesiae, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima, et omnes Apostolicae: dum una omnes probant unitatem. . . . . Constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus, et originalibus fidei conspiret veritati deputandam sine dubio tenentem quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit. De Praescript. cap. XXI. Et paulo post: *Si quae* (haereses) *audent interserere se aetati Apostolicae. . . . . . . possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit Auctorem, et Antecessorem. . . . . Confingant tale aliquid haeretici. . . . . . Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata ex diversitate*

et contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicuius auctoris esse, neque Apostolici; quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita et Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis desciverunt, et aliter praedicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabantur ab illis Ecclesiis, quae licet nullum ex Apostolis Auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae. Ita omnes haereses ad utramque formam a nostris Ecclesiis provocatae, probent se quaque putant Apostolicas. Ibid. cap. XXXII. Eadem ratione loquitur S. Irenaeus, qui haec habet: *Traditionem itaque Apostolorum in toto Mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale*

ab his (haereticis) *deliratur. . . . . Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum numerari successiones, maximae, et antiquissimae, et omnibus cognitae, et gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae, et constitutae Ecclesiae, eam, quam habent ab Apostolis Traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, et vanam gloriam, vel per caecitatem, et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt.* Adv. Haeres. Lib. III. cap. III. n. 1. Et paullo post: *Tantae igitur ostensiones quum sint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; quam Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, que sint veritatis: uti omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus, omnes autem reliqui fures sunt, et latrones. Propter quod oportet devitare illos; quae autem*

sunt Ecclesiae, cum summa diligentia diligere; et apprehendere veritatis Traditionem. Quid enim? Etsi de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum et liquidum est. Ibid. cap. IV. n. 1. Ita quoque Epiphanius postquam Romanos Pontifices a Petro ad suam usque aetatem numeravit, adiungit: *Ac nemini sane mirum videatur, cur singula tanta cum diligentia percurrerim. Per haec enim* (scilicet per Romanorum Pontificum ab Apostolis non intermissam seriem) *perpetuo certa accurataque veritas ostenditur.* Adv. Haeres. Carpocratiorum, Lib. I. Tom. II. n. VI. pag. 107. Ed. Petav. Item haereticis obiicit S. Hieronymus: *Quisquis assertor es novorum dogmatum, cur post quadringentos annos docere niteris quod ante nescivimus? Cur prodis in medium, quod Petrus et Paulus edere noluerunt? Usque ad haac diem sine ista doctrina Christianus Mundus fuit.* Epist. ad Pamachium et Oceanum Tom. IV.

part 2. pag. 349. Ed. MM. Similiter Donatistas compellabat S. Optatus Milevitanus. *Vos vestrae Cathedrae originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.* Lib. II. advers. Parmen. cap. III. Nec aliter S. Augustinus: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa sede Petri, et in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.* In Psalmo contra partem Donati.

Scholion.

Ex propositionibus iam demonstratis satis evidenter erui posset trium, quae sequuntur propositionum veritas; Christi nempe Ecclesiam perspicuam, seu *visibilem*, perpetuam, seu *indefectibilem*, et errori haud obnoxiam, seu *infallibilem*. Si enim iis constat Ecclesia, qui eiusdem fidei professione, eorumdem Sacramentorum uso, et eadem capiti ebedientia, externis scilicet vineulis, simul coniunguntur; sive praedestinati sint sive reprobi, sive iusti sive peccatores: Ecclesiam

ipsam visibilem esse nemo non videt. Si vero Ecclesia a Christo per Apostolos ita fundata ac propagata est, ut Apostolorum doctrinam conservet, Christo cum Apostolis permanente *usque ad consummationem saeculi*, et Ecclesiam super Apostolorum fundamento regente, ne *portae inferi adversus eam praevaleant*; Ecclesiam ipsam firmam perpetuo duraturam, nec unquam ab Apostolorum doctrina recessuram, nullus sanae mentis dubitabit. Attamen veritatis magis magisque confirmandae causa, tres eiusmodi Ecclesiae dotes singillatim demonstrabimus.

Prop. IV.

Vera Christi Ecclesia visibilis est.

Prob. I. Scripturis. De Ecclesia namque sic in veteri Testamento loquuntur Prophetae: *Et erit in novissimis diebus*, ait Isaias, *praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascen-*

damus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem. II. 2. 3. Et alibi idem Isaias: *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebrae operient terram, et caligo populos; super te autem orietur Dominus, et gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et Reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent. Tunc videbis, et afflues*, etc. LX. 1. et seqq. Similiter in Novo Testamento sic Apostolos alloquitur Christus: *Vos estis lux Mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.*

Matth. V. 14. et seqq. Et alibi monet Christus ipse: *Dic Ecclesiae*; *si Ecclesiam non audierit* etc. Matth. XVIII. 17. Sic vero Episcopos commonet Paulus: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, ut narratur. Act. XX. 28. Et alibi idem Paulus: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* (quod est Ecclesia, Ephes. I. 23). Ephes. IV. 11. 12. Ex quibus sane Scripturarum testimoniis evidenter patet ita *visibilem* esse Ecclesiam, ut *visibilis* est Mons *in vertice montium*; Societas, *ad quam confluunt omnes gentes*; Civitas *supra montem posita*; *Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum, Doctorum* Coetus, qui eiusdem Ecclesiae regimini praeest.

Prob. II. Patribus. Nimirum maxime *visibilem* Ecclesiam demonstrant haec Tertulliani verba: *Age iam, qui voles curiosi-*

tatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc Cathedrae Apostolorum suis locis praesidentur, apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur sonantes vocem, et repraesentantes faciem uniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia! (cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur, ubi Apostolus Ioannes, postea quam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur). Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit. De Praescript. XXXVI. Talem quoque ostendunt verba Origenis: *Sicut Sol, et Luna magna luminaria dicta sunt esse in firmamento Coeli; ita et in nobis Christus,*

et Ecclesia. Hom. I. in Gen. n. 5. Eamdem veritatem confirmat S. Augustinus, qui S. Cypriani quoque sententiam citat: *Extat Ecclesia*, inquit, *cunctis clara, atque conspicua; quippe civitas, quae abscondi non potest super montem constituta, per quam dominatur Christus a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrae, tamquam semen Abrahae multiplicatum sicut stellae coeli, et sicut arena maris, in quo benedicuntur omnes gentes. Hanc etiam beatus Cyprianus ita commendat, ut eam dicat Domini luce perfusam radios suos per orbem terrarum porrigere, ramos suos per universam terram copia ubertatis extendere.* Contra Cresconium Donatistam, Lib. II. cap. XXXVI. n. 45.

Prob. III. rat. Theolog. Primo enim visibili modo fundata, ac propagata est Ecclesia. Nimirum ut eam institueret, Dei Verbum *caro factum est.* Ioan. 1. *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Philipp. II. 7; ut eam propagaret, ac regeret, duodecim homines, qui certe visibiles erant, elegit

Christus ipse, ac in eos visibili specie Spiritum Sanctum suum Pentecostes die misit; visibiliter divinum verbum praedicarunt a Christo electi Apostoli, et visibiliter praedicatam fidem per Baptismum susceperunt eadem die primum tria millia, postea quinque millia hominum, ac de die in diem innumera deinceps hominum multitudo. Quum vero spiritu, et corpore homines constent, ideoque necessario visibiles sint, Ecclesia, quae hominibus componitur, invisibilis esse nequit. Deinde hominum societas, non Angelorum, est Christi terrena Ecclesia. Atqui in nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum, convenire homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur, ut recte animadvertit S. Augustinus contra Faustum Lib. XIX. cap. XI. contestaturque saeculorum omnium constans experientia. Demum si Ecclesia est invisibilis, ut Adversarii contendunt; vel fideles illi, in quibus consistit vera Ecclesia, fidem suam exterius profitentur, siquidem *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, Rom. X. 10. vel

fidem in animo continentes cum ceteris in exterioribus Religionis actibus conveniunt. Si primum, iam visibilem Ecclesiam ipsi constituunt: si alterum, hypocritae sunt ac perfidi, dum falsam fidem exterius profitentur, quod nemini licet. Aperte enim declarat Christus: *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.* Matth. X. 32. 33. Et nimirum Christi tempore in Zacharia, Simeone, Anna, Maria, aliisque paucis, non in Pontificibus, et reliqua Iudaeorum turba Ecclesiam constitisse aiunt Philippus, et Illyricus. Atqui citati homines cum Pontificibus, aliisque Iudaeis in Templo versabantur, et sacrificia peragebant; siquidem in Templo incensum adolebat Zacharias, a Templo non recedebat Anna, in Templum singulis annis pergebat Maria. Ergo horum fides eadem erat, ac Pontificum, aliorumque Iudaeorum.

OBIECTA DILUUNTUR.

Obiic. I. Ecclesia *thesauro abscondito in agro*, *Regno Dei*, quod intra nos est, *Lunae*, quae invisibilis est aliquando, *Mulieri* in solitudinem fugienti comparatur. Ergo invisibilis est.

Resp. Regula, quam in comparationibus intelligendis praescribit Critice, est omnibus notissima, illas scilicet ea ratione explicandas, qua adhibentur: nec posse figuram omni ex parte rei convenire; secus namque inter figuram, et rem ipsam nulla intercederet differentia. Atqui Ecclesia *thesauro abscondito* comparatur, non quod lateat, sed quod nemo sine interiori gratiae auxilio in eam ingrediatur, et quod in eam ingressus ipsius bonis ditetur, et gaudeat; *Regno* intra nos constituto, quod ad interiora gratiae dona, non quod ad exteriorem fidei professionem; *Lunae*, quod a Christo iustitiae Sole lucem acceperit, et inter saeculi tenebras luceat, atque splendescat, non quod deficere omnino possit; *Mulieri* in

solitudinem fugienti, quod ad fideles, qui Antichristi tempore saevissimam istius persecutionem in speluncas se abdentes effugient, qui nihilo tamen minus visibiles erunt; non quod ad alios fideles non paucos, qui fidem veram aperte professi, ipsam sanguine proprio contestabuntur. Ergo nihil probant allatae comparationes.

Obiic. II. Invisibilem fore Ecclesiam per Ieremiam praedicit Deus his verbis: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum* Ierem. XXXI. 33.

Resp. In citato Ieremiae testimonio novam Legem veteri Legi, non vero novam Ecclesiam veteri Ecclesiae opponit Deus; ac discrimen inter antiquum, et novum foedus ostendit. Primum namque Salvatorem promittebat, eiusque sacrificium adumbrabat; alterum dat salutem, ac sacrificium praesens exhibet, eiusque uberrimos fructus confert. Nimirum vetus lex in lapideis tabulis scripta gratiam per se non dabat; nova vero in visceribus, et corde scripta gratiam dat,

atque gratia cor mundat, et sanctificat. En quo illa Scripturarum testimonia spectant. At ex hoc non consequitur, Novi Testamenti Ecclesiam esse invisibilem. Nam quemadmodum invisibilis est hominis spiritus, et invisibiles sunt actus illius; visibile tamen corpus animat, ac visibilibus operibus praesentiam et efficaciam suam demonstrat: ita invisibilis est Spiritus Sanctus, et invisibilibus gratiae donis Ecclesiam regit; visibilibus tamen hominibus, ac visibilibus modis, Sacramentis scilicet, invisibilia gratiae dona confert.

Obiic. III. Ecclesiam *spiritualem domum* appellat S. Petrus, quum scribit: *Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias Deo.* I. Petr. II. 5. Ergo invisibilis est Ecclesia.

Resp. Duplici ratione aliquid spiritale appellatur in Scripturis, scilicet vel quod ad substantiam, vel quod ad ordinem. Priori modo dicuntur *spiritualia nequitiae in coelestibus.* Ephes. VI. 12. Altero autem modo, quia scilicet ad spiritale ordinatur,

vel quia spiritus in ea re dominatur, dicitur *spiritualis* homo, I. Cor. II. 15. *corpus spiritale*, ibid. XV. 44. Secundo hoc sensu *spiritualis domus* appellatur Ecclesia, quod scilicet non lapidibus, sed hominibus Deo per gratiam consecratis, et ad spiritalem vitam ducendam ordinatis componatur.

Prop. V.

Vera Christi Ecclesia deficere non potest.

Illud in hac propositione demonstrandum adorimur, veram Christi Ecclesiam, quam *visibilem* iam ostendimus, esse etiam *indefectibilem*. Hoc autem sedulo animadvertendum ideo, quod Christi Ecclesiam deficere non posse concedunt quoque Adversarii; at eo sensu intelligunt, ut interiorem Ecclesiam tantum spectent: fatentur scilicet nunquam defecisse, vel defecturos in terra, qui veram Christi fidem profiteantur; contendunt tamen hos ipsos posse aliquando ita latere, ut omnino invisibilis remaneat Ecclesia. Nos contra, quum *indefectibilem* praedicamus

Ecclesiam, non de interiori solum, sed de exteriori etiam loquimur, ac veram Christi Ecclesiam, quae deficere non potest, eam intelligimus, quae visibilis, ac evidens sit omnibus, qui eam agnoscere velint.

Prob. I. Scripturis, quae dum de *visibili* Christi Ecclesia loquuntur, eam *indefectibilem* quoque esse apertissime ostendunt. Quum enim de visibilibus Regnis loquitur Daniel, inter ea connumerat Ecclesiam, eamque perpetuo duraturam praedicit: *In diebus autem Regnorum illorum suscitabit Deus coeli Regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et Regnum eius alteri populo non tradetur; consumet autem, et comminuet universa Regna haec, et ipsum stabit in aeternum*, II. 44. Forsan clarius Isaias: *Et venerit Sion Redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.* LIX. 20. 21.

Et paulo post: *Foedus perpetuum feriam eis. Et scient in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* LXI. 8. 9. Veteri concinit novum Testamentum. Christus namque Petro dixit: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Matth. XVI. 18. Et Apostolis omnibus: *Docete omnes gentes, baptizantes..... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Ibid. cap. ult. vers. ult.

Prob. II. Patribus. De Christi namque Ecclesia scribit S. Ambrosius: *Videtur sicut Luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest.* Hexaëm. Lib.IV. cap. II. *Ecclesia,* addit Chrysostomus, *est ipso coelo fortior:* » *coelum, et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* » Matth. XXIV. 35. *Quae verba?* » *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* » Hom.

ante exilium n. I. Concludit S. Augustinus: *Sed illa Ecclesia, quae fuit omnium gentium, iam non est, periit. Hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est; quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis: nam illa erit, etsi tu non sis ...... Quid est, quod nescio qui recedentes a me murmurent contra me? Quid est, quod perditi me periisse contendunt? Certe enim hoc dicunt, quia fui, et non sum: « Annuntia mihi exiguitatem dierum meorum ». Non a te quaero illos dies aeternos: illi sine fine sunt, ubi ero, non ipsos quaero; temporales dies mihi annuntia: « Exiguitatem dierum meorum » non aeternitatem dierum meorum, annuntia mihi. Quamdiu ero in isto saeculo, annuntia mihi, propter illos qui dicunt: fuit, et iam non est; propter illos qui dicunt: impletae sunt Scripturae, crediderunt omnes gentes, sed apostatavit, et periit Ecclesia de omnibus Gentibus. Quid est hoc, « Exiguitatem dierum meorum annuntia mihi »? Et annuntiavit, nec vacavit ista vox. Quis annuntiavit mihi, nisi ipsa via? Quo-*

modo annuntiavit? » *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem saeculi* » In Psalm. CI. Serm. II.

OBIECTA DILUUNTUR.

Obiic. I. Ecclesiam non semel defecisse testantur Scripturae. Nimirum defecit in Adamo, et Heva, daemoni prae Deo fidem habentibus, Gen. III. in Aaron, et universo populo vitulum aureum colente, Exod. XXXII., in universo Israele tempore Eliae, siquidem ita Dominum alloquitur Propheta: *Relictus sum ego solus*, III. Reg. XIX. et quamquam *Dominus ad eum: Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, qui non curvaverunt genua ante Baal;* hi tamen Eliae ignoti erant, ideoque occulti. Deficere igitur potest visibilis Christi Ecclesia.

Resp. Falsum est, quod ex allatis exemplis concludit adversarius, universam nempe visibilem Christi Ecclesiam defecisse. Nam primo ad novi foederis Ecclesiam proprie spectant perpetuae durationis promissiones a Deo

factae. Deinde ne verum quidem est citatis temporibus defecisse Ecclesiam. Nimirum in Adam, et Heva ante peccatum adumbrata tantum, nondum efformata Ecclesia dici potest; post peccatum enim Redemptorem Christum promisit Deus, atque ex hac promissione fides in Christum ipsum ad salutem necessaria coepit esse. Deinde ex communiori sententia Adae peccatum non fidei, sed humilitati, obedientiae, temperantiae repugnavit; nec Adam filiis, ac posteris suis quidlibet fidei contrarium tradidit. Tempore vero Mosis, quum populus aureum vitulum adoravit, non defecit Ecclesia; tota enim tribus Levi, quae tribus ac viginti millibus viris constabat, in fide remansit constans, ac firma, Moysenque Ecclesiae caput (nondum enim summus Pontifex consecratus fuerat Aaron) sequuta est. Denique Eliae tempore praeter illa septem millia virorum ex Regno Israel, totum Iudae Regnum veram fidem integram, illibatamque conservabat. Nihil igitur probant adducta exempla.

Obiic. II. Sic in Isaia de populo suo conqueritur Deus: *Cognovit bos possessorem suum*,

et asinus praesepe domini sui; *Israel autem me non cognovit*, *et populus meus non intellexit*....... *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*. I. 3. 4. Et per Ieremiam similiter: *Confusi sunt domus Israel*, *ipsi*, *et Reges eorum*, *principes*, *et Sacerdotes*, *et Prophetae eorum*, *dicentes ligno*: *Pater meus es tu*; *et lapidi*: *Tu me genuisti*......... *Quid vultis mecum iudicio contendere*? *Omnes dereliquistis me*, *dicit Dominus*. IJ. 26. 27. 29.

Resp. Illa Scripturarum testimonia permultos tunc temporis fuisse Idololatras, non universos comprobant. Scripturarum enim mos est universum coarguere populum, quasi nemo reperiatur in illo bonus, quum tamen non pauci inveniantur boni, et a peccato alieni. Sic, ut moris huius exemplum aliquod afferamus, in Ezechiele legimus: *Omnis domus Israel attrita fronte est*, *et duro corde*, III. 7. at paullo post subiungit: *signa thau super frontes virorum gementium*, *et dolentium super cunctis abominationibus*, *quae fiunt in medio eius*. IX. 4. Item Paulus Galatas generatim omnes reprehendit: *O*

insensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati? III. 1. attamen in eadem Epistola scribit: *Fratres et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* VI. 1. Animadvertendum insuper id, quod difficultatem totam a fundamentis evertit; utrumque Prophetam de Regno Israelis loqui, quod maxima ex parte schismaticum erat, et Idololatriae deditum, non de Regno Iudae, quod veram fidem conservabat, ideoque veram Ecclesiam constituebat.

Obiic. III. Ecclesiam defecturam ostendunt etiam Danielis verba: *Deficiet hostia, et sacrificium* IX. 27. et verba Christi: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Luc. XVIII. 8. verba denique Apostoli: *Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati.* II. Thessal. II. 13.

Resp. Ad rem non faciunt Danielis verba, quae ad Iudaici sacrificii cessationem spectant. Quis autem ignorat antiqui Foederis sacrificia, Christo adveniente, cuius sacri-

ficium vetera illa adumbrabant, deficere debuisse, ex ipsa Dei institutione? Christus vero non de fide quavis, sed de praestanti illa fide, quae in paucis etiam nunc reperitur, ac in paucissimis invenietur extremis Mundi diebus, loquitur. Vel si de fide generatim loquatur, multos significat diebus illis a fide defecturos, non omnes, more in Scripturis usitato, ut paullo ante animadvertimus. Demum quid Paulus *discessionis* nomine intellexerit, obscurum est. Aliqui enim hoc nomine Antichristum a Paulo notari volunt, atque, hoc sensu accepta discessione, nihil habet ponderis difficultas. Sed etsi de fidei defectu accipere velimus, deficientium multitudo, non universitas ostenditur, ut semel et iterum monuimus.

Prop. VI.

Vera Christi Ecclesia in iis, quae ad fidem spectant, proponendis, vel definiendis falli non potest.

Illud heic etiam animadvertendum, quod

in superiori propositione monuimus, praerogativam nempe non errandi visibili, ac perpetuae Ecclesiae a Christo fuisse concessam; ita ut visibilis Catholica Ecclesia perpetuo duratura nunquam in iis, quae ad fidem pertinent, errare possit.

Prob. I. Scripturis. Sic enim de Spiritu Sancto, quem missurum pollicetur, Apostolis loquitur Christus: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis... Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ioan. XIV. 16. et XVI. 13. Et alibi Christus ipse ita Apostolos alloquitur: *Docete omnes gentes baptizantes..... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Matth. ult. Priori enim promissione Spiritum Sanctum suum cum Apostolis in aeternum permansurum pollicetur Christus, ut verae doctrinae praedicatio nunquam in Ecclesia deficiat; ideoque non solam Apostolorum personam, sed omnes ipsorum in verae doctrinae praedicatione successores respicit. Altera vero eum Apostolis, qui certe

morituri erant, se futurum promittit *usque ad consummationem saeculi*, scilicet usque ad Mundi finem, ideoque cum ipsis, et eorum successoribus. Praeterea Ecclesiae, quae est Christi corpus, caput est Christus ipse, anima vero Spiritus Sanctus. Nimirum *et ipsum*, Christum scilicet, *dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius*, Ephes. I. 22. 23. *Unum corpus, et unus Spiritus*, Ephes. IV. 4. Atqui Christus est *veritas*. Ioan. XIV. 6. Spiritus Sanctus est *Spiritus veritatis*. Ioan. XVI. 13. Ergo a veritate non potest deficere Ecclesia. Denique *Ecclesia Dei vivi columna, et firmamentum veritatis* appellatur ab Apostolo, I. Tim. III. 15. scilicet firmissima veritatis columna, vel inconcussum veritatis fundamentum. Ergo veritati firmiter, ac perpetuo adhaerebit Ecclesia, nec unquam errori obnoxia esse poterit.

Prob. II. Patribus. Hi enim veritatem ab errore discernendam in fidei negotiis non proprio ingenio, sed Ecclesiae iudicio constantissime docuerunt non verbis tantum, sed et ipso facto. Illud enim fide firma te-

nendum quovis tempore proposuerunt, quod a maioribus ipsi didicerant, nec alia via haereticos a fide alienos demonstrarunt, quam unanimi, ac universali antiquorum doctrina. Atque eiusmodi morem vel a primis Ecclesiae saeculis usitatum evidentissime demonstrant Patrum scripta, in quibus vel fidei veritates evolvunt, vel haereticorum errores confutant. Nimirum, ut exemplum aliquod afferamus, Tertullianus in toto de Praescriptionibus libro, Christi doctrinam ab Apostolis, et Apostolicis Ecclesiis accipiendam esse ostendit, quum Apostolis Christus, et Ecclesiis Apostoli fidei doctrinam tradiderint, cap. XXI. nec umquam *admittendos ad ullam de Scripturis disputationem haereticos,* cap. XV. primum, *quod fides nostra obsequium debeat Apostolo prohibenti quaestiones inire, novis vocibus aures accommodare, haereticum post unam correptionem convenire, non post disputationem.... deinde quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi plane aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri,* cap. XVI. Profecto *haeresis,* pergit Tertullianus,

non recipit quasdam Scripturas, et si quas recipit, non recipit integras; adiectionibus, et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit, et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. . . . Quid promovebis exercitatissime Scripturarum, quum, si quid defenderis, negatur? ex diverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione; nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione. cap. XVII. Concludit postea: *Ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen. . . . . solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa? cuius sint Scripturae? A quo et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani? Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae, et fidei Christianae, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum Christianarum*, cap. XIX. Haec omnia denique Apostolicae tantum Ecclesiae convenire fusius demonstrat. Itaque Apostolica Ecclesia est veritatis Magistra,

ideoque errori haud obnoxia. Ad eumdem scopum collimat S. Cyprianus in libro *de Unitate Ecclesiae*, ubi ostendit a vera doctrina deficere, quicumque ab una, et visibili, et Catholica Ecclesia separatur, quae veritatis Magistra est. Atque inter cetera haec habet; *Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit..... Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Haec nos Deo servat, haec filios regno, quos generavit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae iungitur, a promissis Ecclesiae separatur. Nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* Eumdem sibi proponit finem S. Augustinus in libro *De utilitate credendi*, siquidem in eo nihil magis rationi consentaneum, nihil magis utile esse ad salutem aeternam obtinendam, quam Catholicae Ecclesiae fidem profiteri, demonstrat. Postquam enim humanae rationis imbecillitatem aucto-

ritatisque necessitatem ostendet; necessariam hanc auctoritatem in Catholica Ecclesia a Deo praestitam his verbis concludit: *Hoc factum est divina providentia per Prophetarum vaticinia; per humanitatem doctrinamque Christi; per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes; per sanctorum praedicabilem vitam; atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Quum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?* cap. XVII.

Prop. VII.

Legitimus, et infallibilis verbi Dei interpres, atque controversiarum, quae circa fidem occurrunt, iudex non alius est, nisi Catholica Ecclesia.

Prob. I. Antiqui foederis exemplo. In illo enim non alium, praeter Ecclesiam, verbi sui interpretem, ac iudicem constituit Deus. Nimirum haec in Deuteronomio legimus: *Si difficile, et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, et sanguinem, causam, et causam, lepram, et lepram; et iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te iuxta legem eius: sequerisque sententiam*

eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram, cap. XVII. 8. et seqq. Quod quidem his verbis confirmat Christus: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, et facite.* Matth. XXIII. 2. 3. (1).

Quod si in veteris Testamenti Lege, quae umbra tantum, et figura erat futurorum, et in qua plerumque *iudicialium*, ac *caeremonialium* rerum controversiae erant, ordinem hunc praescripsit Deus, eo magis in Novi Testamenti Lege, quae veritatem continet, et in qua dogmatum controversias dirimere oportet.

---

(1) Eiusmodi autem morem tenuerunt omnes omnino gentes, falsam licet Religionem professae, quae suos habuere Pontifices, Magos, Druidas, Religionis scilicet interpretes, et controversiarum iudices. Immo in quavis etiam civili societate recte instituta nunquam defuerunt Legum interpretes, et controversiarum iudices: quod sane talium interpretum, ac iudicum ad quamlibet societatem regendam summam necessitatem ostendit.

Prob. II. Ipso novi Testamenti ordine. Christus enim Ecclesiae suae *infallibilem* auctoritatem in verbo divino explicando, et fidei controversiis dirimendis contulit. Porro huiusmodi auctoritate a primis usque saeculis in verbo Dei explicando, fideique controversiis dirimendis semper usa est Ecclesia. Quorum utrumque satis in praecedenti propositione demonstravimus.

Prob. III. adversariorum testimonio. Sic enim de Christi Ecclesia loquitur Lutherus: *Ecclesia nec debet, nec potest mendacia, et errores docere, ne in unico quidem articulo....., qui posset aliud fieri, quum os Dei sit os Ecclesiae...., Deus non potest mentiri, ita nec Ecclesia.* Tract. De veteri vera Ecclesia (1). Et alibi. *Quod testimonium totius Ecclesiae, etiamsi nihil amplius haberemus, debet nobis solum sufficere, ut*

(1) Etsi de veteri tantum Ecclesia haec praedicet Lutherus; quum tamen Christi Ecclesia una, ac semper eadem sit, nec unquam deficere possit, ut iam demonstravimus, eadem et de praesenti, et de omnium temporum Ecclesia praedicanda sunt.

in hoc articulo permaneamus. In Epist. ad Albertum Duc. Brandeburg. circa praesent. Corp. Christi in Eucharistia apud Pichler Theolog. Polem. part. prior. Controv. de Eccles. Cap. I. Art. IV. Inter Calvinistas vero eiusmodi regulae observantur, ubi scilicet controversiae circa doctrinam exoriantur: ad *Consistorium*, quod ex Ministris et Senioribus constat, ad Collegium Ministrorum loci et viciniae, ad Provincialem conventum, ad conventum Nationalem deferuntur, quorum decretis qui obtemperare noluerint, ab Ecclesia eiiciuntur in Lib. Discipl. cap. V. Art. 31. atque tali poena mulctati sunt Arminiani, qui Dordraceni Conciliabuli edictis an. 1618. repugnarunt.

Prob. IV. rat. Theolog. Nam vel Ecclesia in verbo Dei exponendo, ac fidei controversiis dirimendis *infallibili* auctoritate pollet, vel nulla erit amplius fidei doctrina. Nimirum fidei doctrina una, constans, ac perpetua sit oportet; at hominum sententiae, illorum quoque, qui interiori Spiritus Sancti luce illustrari se iactant, variae sunt, mutabiles, secum pugnantes. Quis enim ignorat Scripturarum dicta

innumeris atque contrariis interpretationibus explicata fuisse ab hominibus, qui vel proprio ingenio, vel *privato Spiritu* ea exposuerunt? Quaenam igitur inter tot, ac tantas interpretationes vera ac germana erit? Ubi ergo nulla adsit *infallibilis* auctoritas, quae Sacras Scripturas exponat, et fidei controversias dirimat; Scripturae ipsae non divinarum veritatum fons, sed interminatarum litium seminarium erunt, ideoque nulla amplius existet fidei doctrina.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Sic de novi Foederis doctrina per prophetas loquitur Deus: *Ponam.... universos filios tuos doctos a Domino.* Isai. LIV. 12. 13. ***Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.. ... et non docebit ultra vir proximum suum dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum.*** Ierem. XXXI. 33. 34. Ergo ad fidei doctrinam nihil praeter Scripturas requiritur.

Resp. Citatis sententiis discrimen inter veterem, et novam legem significant Scripturae, quod nempe illa interiorem gratiam per se non dabat, haec vero per se dat; ab illa veri Dei cognitionem discebat sola Hebraica gens, ab hac vero omnes gentes. At interiora gratiae auxilia exteriorem fidei praedicationem non excludunt. Sic enim per eumdem Ieremiam de novo Foedere verba faciens Deus pollicetur: *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia, et doctrina.* III. 15. Ergo ipse Deus et interiori gratia animum illustrat movetque, et exteriori Pastorum praedicatione verbum suum docet explicatque. *Non enim vos estis, qui loquimini*, ait Apostolis Christus, *sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Matth. X. 20. Itaque per Ecclesiam suam Deus ipse nos docet, atque quotquot Ecclesiae doctrinam audiunt et profitentur, universi *docti a Domino* iure meritoque appellantur. Praeterea de unius veri Dei cognitione sermonem habet Ieremias, quae novi Foederis tempore per universum Orbem diffusa adeo vulgaris fu-

tura promittitur, ut Magistro eius adquirendae causa opus non sit.

Obiic. II. Iudaeos credere nolentes ad Scripturas remittit Christus his verbis : *Scrutamini Scripturas.... illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* Ioan. V. 39. Ergo praeter Scripturas nulla *infallibilis* auctoritas recognoscenda est.

Resp. Non ad solas Scripturas, sed ad Ioannis Baptistae testimonium quoque, et ad miracula, et ad Patris vocem e coelo filium suum declarantem, Iudaeos remisit Christus, ut se Deum verum, Patri aequalem, ostenderet, ibid. 33. 36. 37. Praeterea Ecclesiae auctoritatem non excludit Scripturarum investigatio, quum ad recte investigandas, et intelligendas Scripturas Ecclesia duce perveniamus. Demum qui Scripturas scrutatur, in Scripturis ipsis reperit Ecclesiae institutionem, eiusque formam, et dotes, inter quas locum habet *infallibilitas.* Atque triplici hac ratione Christi verba « *scrutamini Scripturas* » nihil adversariis suffragantur.

Obiic. III. Scripturae per se ita clarae, et apertae sunt, ut inutilis omnino sit Ec-

clesiae eas explicantis opera. *Praeceptum Domini lucidum*, scribit Psalmista, *illuminans oculos*. Psalm. XVIII. 9. *Non necesse habetis*, confirmat Ioannes, *ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius* (scilicet Spiritus Sancti, qui in Scripturis loquitur) *docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo*. Epist. I. cap. II. v. 27. *Spiritualis autem iudicat omnia*, concludit S. Paulus I. Cor. II. 15.

Resp. Scripturarum claritatem, qua Ecclesiae auctoritatem excludere conantur adversarii, falsam ostendunt plurima et amplissima non modo antiquorum Patrum, sed ipsorum quoque adversariorum volumina ad Scripturas elucidandas conscripta; innumerae haereses a primis usque Ecclesiae saeculis exortae, quae singulae errores suos Scripturis comprobare contendunt; interminatae, et oppositae invicem interpretationes, quibus clariora, et potiora Scripturarum dicta explicare verbis conantur, sed re quidem vera crassis occultant, et circumfundunt tenebris adversarii. Quid quod Scripturas,

nullo docente, interpretati Sociniani Mysteria omnia, illa etiam, quae clarissima luce perfusa vident adversarii, se nulla ratione videre clamant? Falsum est ergo Scripturas ita esse claras, ut ad Ecclesiae auctoritatem in iis explicandis nulla ratione confugiendum sit; et alius certe est obiectorum verborum sensus. Nimirum de divinis tantum praeceptis loquitur Psalmista, eaque lucida esse, et lucem oculis praebere affirmat, non quod ea nullo docente quisque intelligat, sed quod recte intellecta gressus hominis ad aeternam vitam, quasi lucerna splendens, dirigant. Nam idem Psalmista lumen a Deo requirebat, quo legem scrutaretur: *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam.* Psalm. CXVIII. v. 34. Ceterum quod de divina tantum lege asserit Psalmista, perperam ad totam Scripturam extendunt adversarii: etsi enim Lex, quae in duplici charitatis praecepto tota consistit, clarissima sit; inde tamen non consequitur omnia, quae in Scripturis leguntur, eodem modo clara et aperta esse. Quod vero ad Ioannis verba adtinet, ibi Christi fideles ut a Pseudo-Apostolo-

rum doctrinis caveant, hortatur Ioannes, quum veram Christi doctrinam per legitimos Apostolos Spiritu Sancto docente didicerint. Ait enim: *Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos.* Ibid. vers. 26. Hoc vero Ecclesiae auctoritatem, non modo non infirmat, sed magis potius magisque confirmat. Dum namque falsis Apostolis, ac doctoribus resistendum praescribit, veris ac sinceris obtemperandum comprobat. Nimirum ipsemet Ioannes, ut in doctrina Apostolorum, quam Spiritu Sancto per gratiam movente receperant fideles, perseverarent, hanc epistolam scripsit; quod frustra, immo sibimetipsi repugnans, fecisset, si Spiritum Sanctum nullo exteriori adminiculo per se interius docentem auscultare tantum deberent Christi discipuli. Praeterquamquod secum ipsi pugnant adversarii, dum *privatum Spiritum* iactantes, *Ministros* constituunt, eisque docendi munus imponunt. Quod denique ad Pauli testimonium, non de quibuslibet Christi discipulis ibi loquitur Apostolus, sed de iis tantum, quos *perfectos* vocat vers. 6. eosque in divinis rebus diu exercitatos per se res ipsas ceteris facilius

discernere, ut Graecum verbum διακρινεῖ ostendit, affirmat. His vero alios minus expertos opponit, de quibus ait: *Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* ibid. III. 1. 2. Igitur nihil aliud probat Paulus, nisi diverso modo pro capacitatis ratione erudiendos esse Christi discipulos. At quomodo haec docens Ecclesiae auctoritatem excludit? Immo magis comprobat, atque confirmat, quum Ecclesiae iudicio relictum ostendat, quibus tamquam parvulis lac potus, quibus vero tamquam perfectis esca danda sit.

Prop. VIII.

In sola Catholica Ecclesia obtineri potest aeterna salus.

Prob. Propositio haec e superioribus propositionibus manat et fluit. Nimirum in illis eam esse veram Christi Ecclesiam demonstravimus, quae una, sancta, catholica, Apostolica sit, et quae cunctis visibilis, qualis

a Christo fundata fuit, stabilis perseveret, a Christi doctrina nunquam deficiens. Atqui tales notae ac proprietates Catholicae Ecclesiae, quae etiam *Romana* dicitur ob Romanum Pontificem Ecclesiae ipsius caput a Christo constitutum, tam apte quadrant, ut nulli praeter eam conveniant. Ergo sola Catholica est vera Christi Ecclesia. Atqui in vera Christi Ecclesia tantum acquiri potest aeterna salus. Ergo in sola Catholica Ecclesia aeterna salus obtineri potest. Quod vero extra Christi Ecclesiam, quae sola Catholica est, aeternam salutem obtinere nemo possit, tam certum est, quam quod certissimum. Nam Ecclesia est *corpus Christi*, Coloss. I. 24. Christus autem *Salvator est corporis eius*, Ephes. V. 23. Item Ecclesia est *domus, templum, civitas, regnum Dei.* Sicut ergo aeternam salutem consequi nullus potest, qui extra Christi corpus invenitur, ita ne ille quidem, qui extra Domum, Templum, Civitatem, Regnum Dei inveniatur. Praeterea veritatem hanc manifeste confirmant Patres. *Dominum* enim dicit S. Irenaeus, *iudicaturum esse eos omnes, qui sunt extra veritatem, id est, qui sunt*

extra Ecclesiam. Lib. IV. adv. Haeres. cap. XXXIII. *Si potuit evadere quisquam, qui extra Arcam Noe fuit*, addit S. Cyprianus, *et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit.* De unit. Eccles. Et alibi: *Neque enim vivere foris possunt, quum domus Dei una sit, et nemini salus esse, nisi in Ecclesia possit.* Ep. LXII. *Nusquam, nisi in Ecclesia Catholica*, eadem ratione inquit S. Augustinus, de Emerito Schismatico verba faciens, *salutem poterit invenire.* Serm. ad Eccles. Caesareensis plebem n. 6. *Firmissime tene*, concludit S. Fulgentius, *et nullatenus dubites quemlibet haereticum, sive schismaticum ...... si Ecclesiae Catholicae non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem fuderit, non posse salvari.* De Fide ad Petrum cap. XXXIX. n. 80. Eandem veritatem definivit Lateranensis IV. Synodus his verbis: *Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.* De fide Catholica cap. I.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Salutem aeternam consequuti sunt extra antiquam Ecclesiam, Synagogam scilicet, nonnulli, inter quos celebratissimus Iob. Ergo extra Catholicam Ecclesiam similiter ad aeternam vitam pervenire poterunt aliqui.

Resp. Perperam heic inter Synagogam, et Catholicam Ecclesiam instituitur comparatio. Quum enim Synagoga esset peculiaris Iudaeorum Ecclesia, extra eam Iudaeorum nullus salutem consequi poterat; at qui Iudaei non erant, etiam extra illam poterant ad Deum alia via pervenire. Catholica vero Ecclesia quum sit universalis, omnium nempe gentium, nullus omnino nisi per eam ad aeternam vitam accedere aut adspirare potest.

Obiic. II. Nemo qui sit criminis expers, a Deo damnatur. Atqui multi sine ullo crimine extra Catholicam Ecclesiam reperiuntur; siquidem Ecclesiae Catholicae nullam notitiam habent, nec habere possunt. Ergo vitam aeternam consequi possunt aliqui extra Catholicam Ecclesiam.

Resp. Qui Catholicam Ecclesiam nulla culpa ignorantes damnantur, non ideo damnantur, quod in Catholicae Ecclesiae sinum ingredi vel recusarunt, vel neglexerunt, sed quod peccati vel *originalis* tantum, vel *originalis* simul, et *actualis mortiferi* labe maculantur. Nimirum *Arcae Noe* comparatur Ecclesia. Sicut ergo quotquot extra Arcam inventi sunt, diluvio periere; plerique tum quia aliis criminibus premebantur, tum quia Noe monita, et Arcae fabricationem contempserant; alii vero qui nunquam Noe audierant, aut Arcam viderant, ob alia crimina tantum, non tamen ob Noe, et Arcae contemptum: sic omnes quotquot extra Catholicam Ecclesiam inveniuntur, aeterna vita privantur; vel quia praeter *originalem* et *actualem* maculam, divinam gratiam, quae in Ecclesia tribuitur, negligunt extra Ecclesiam vivendo; vel quia sola *originali*, vel *originali*, et *actuali* mortifera culpa inquinantur, nullam Ecclesiae notitiam habentes.

Obiic. III. Qui in haeretica Societate nati Baptismum receperunt, sanctificante gratia ornati eam amittere non possunt, nisi

velint. Ergo in eadem societate recte viventes ad aeternam salutem extra Catholicam Ecclesiam pervenire possunt.

Resp. Qui legitimo Baptismo abluti in haeretica Societate recte vivunt, modo nulla culpa sua in tali Societate doctrinas sanae fidei repugnantes tradi ignorent, aeternam salutem adipiscuntur; sed extra Catholicam Ecclesiam non sunt. Vide quae diximus supra pag. 123. et seqq.

Sectio IV.

De Conciliis.

§. I. Concilium, vel synodus appellatur Pastorum legitima congregatio ad fidei, vel morum, vel disciplinae negotia definienda in unum locum collecta. Est autem vel generale, vel nationale, vel provinciale, vel dioecesanum Concilium, prout vel universalis Ecclesiae, vel unius nationis, vel provinciae, vel dioecesis unius Pastores congregantur. Pastorum nomine Episcopos prae-

sertim (1) intelligimus, qui Apostolorum locum in Christi grege pascendo tenent. Legitima autem erit Pastorum congregatio I. si omnes a Pastorum Principe convocentur, a Romano Pontifice (2) scilicet in generale

---

(1) Ius enim suffragii in Ecclesiae negotiis definiendis solis Episcopis competit; Apostolis enim, quibus Episcopi in pascendo grege fidelium succedunt, non aliis, verbum suum docendi potestatem dedit Christus. Ex consuetudine vero et privilegio in Concilium vocantur etiam Cardinales non Episcopi, Abbates, et Generales Ordinum; atque ob *iurisdictionem quasi Episcopalem*, sententiam dicendi ius habent. Theologi praeterea non suffragii causa, sed consilii tantum, synodis intersunt. Demum Principes, vel eorum legati Conciliis, tamquam Ecclesiasticarum definitionum defensores, adesse possunt.

(2) Potestatem Concilii convocandi potest aliis, etiam laicis, iusta ex causa delegare summus Pontifex, ut antiquioribus saeculis non semel factum est, quum ab Imperatoribus petebant summi Pontifices, ut Episcopos ad Synodum convocarent; talis enim convocationis sumptus sustentare nequibant Pontifices. Possunt Concilium congregare etiam

Concilium, a Patriarcha vel Primate in nationale, ab Archiepiscopo in provinciale, ab Episcopo in dioecesanum ; II. si ex maiori Christianarum provinciarum parte ad generale Concilium conveniant Episcopi, atque simili proportione ad nationale, provinciale, dioecesanum concurrant, qui vocantur; III. si de Ecclesiae negotiis debita libertate agant (1);

Cardinales, et Episcopi, quum de summi Pontificis persona, pluribus eam gerere contendentibus, dubitatur; ut Concilium ipsum vel legitimum Pontificem inter contendentes discernat, vel illegitimis exclusis, ubi eiusmodi sint omnes, legitimum eligat.

(1) Ubi enim libertas desit, non quod sentiunt, sed quod per vim vel metum proferre coguntur, definiunt Pastores. *Quae tormentorum vi*, ad rem S. Athanasius de Liberio, qui eiusdem Athanasii damnationi subscribere coactus fuerat, *praeter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita.* Hist. Arian. n. 41. Tom. I. 1. part. pag. 291. ed. MM. Patavii 1777. Necessaria est quoque libertas, ut Pastores rem de qua agitur, commode perpendant. Quum enim Scripturae, et Traditionis sententiis fidei, et morum negotia decernant Pastores, in Scriptura ipsa,

IV. si Pastorum principe vel per se, vel per legatos suos praesidente, actaque adprobante, vel saltem postea confirmante, universale Concilium habeatur; siquidem deficiente capitis praesentia, vel confirmatione, quae illam suppleat, non potest totius corporis congregatio, generalis scilicet Synodus iure appellari. Quorum unum si desit, illegitima erit Pastorum congregatio, et *Conciliabulum*, non Concilium vocabitur.

§. II. Concilia, ut diximus, alia sunt Generalia seu oecumenica, alia Nationalia, alia Provincialia, alia Dioecesana; prout in unum locum convocantur vel totius Catholici orbis, vel unius Nationis, vel Provinciae Episcopi, vel unius Dioecesis Parochi. Quum autem generales tantum synodi universalem Ecclesiam repraesentent, cui Christus auxilium

---

et Traditione examinanda omnem curam ponunt. Ita nimirum legimus factum per Apostolos in celebri Hierosolymitano Concilio, quod omnium exemplar extitit, siquidem legimus: *Quum autem magna conquisitio fieret*, etc. Act. XV. 7.

perpetuum, ne in errores fidei adversos incideret, pollicitus est, solis oecumenicis conciliis convenit in fide, et moribus *infallibilitas.*

PROP. UNICA.

Oecumenica Concilia in iis, quae ad fidem, et mores pertinent, definiendis errare non possunt.

Prob. I. Scripturarum sententiis in duabus praecedentibus propositionibus allatis, ubi *infallibilitatis* in fide et moribus privilegium a Christo Ecclesiae concessum demonstravimus. Quibus addatur illa Apostolorum in Hierosolymitano Concilio *legalium* quaestionem discutientium conclusio: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis.* Atqui Apostolis Spiritum Sanctum, qui omnem veritatem doceret, dedit Christus, ut cum illis in aeternum maneret, scilicet nunquam ab Ecclesia recederet. Ergo eadem ratione, qua Hierosolymitanum illud Concilium Spiritu Sancto regebatur, cetera oecumenica Concilia, in quibus Apostolorum successores simul congregati fidei negotia per-

pendunt, Spiritu Sancto reguntur: atque ideo erroris omnino immunia iure meritissimo habentur.

Prob. II. Patribus, qui Generalium Synodorum definitiones, tamquam fidei normam venerati sunt. *A concilio Nicaeno*, scribit S. Ambrosius, *nec mors, nec gladius poterit me separare.* Ep. XXI. n. 24. *Quae illic*, de eodem Concilio affirmat S. Athanasius, *promulgata fides est, tum ad impietatem omnem evertendam, tum ad ..... fidem asserendam sufficit .... Quid est quod nonnulli disceptare, ac quaestiones movere ausint?* Epist. ad Epictetum, n. 1. pag. 720. T. I. p. II. Patav. 1777. Quamlibet in fide quaestionem *plenario totius orbis Concilio* firmiter definiri indicat S. Augustinus, Lib. I. De Baptismo cap. VII. n. 9. *Dominus quae prius nostro ministerio definierat*, sic S. Leo Magnus, *universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod a prima omnium sede prius formatum totius orbis Christiani recepisset iudicium.* Epist. XCIII. ad Theodoretum, cap. II. *Sicut Sancti Evan-*

gelii quatuor libros, ἐμφατικῶς concludit S. Gregorius Magnus, *sic quatuor* (prima oecumenica) *Concilia suscipere, et venerari me fateor*....... *quintum quoque pariter veneror*. Epist. ad Ioannem Patriarch. Constantinop. et cet. Patriarch. Tom. II. pag. 515. Ed. MM.

Prob. III. Perpetua, et constanti praxi. Semper enim, pro haereticis habiti sunt, qui oecumenicarum Synodorum in rebus fidei definitionibus repugnarunt: Haereticos scilicet post Nicaenam Synodum *Arianos* reputarunt omnes Christi discipuli; ac similiter post Constantinopolitanam I. *Macedonianos*, post Ephesinam *Nestorianos*, post Chalcedonensem Eutychianos, atque ita deinceps. Atqui haereticus dici non potest, nisi qui aliquod fidei dogma obstinatus negat. Ergo fidei dogmata comprehendunt Synodorum oecumenicarum definitiones.

Prob. IV. Adversariorum testimonio. Isti enim quatuor priorum oecumenicarum Synodorum decreta venerantur, et amplectuntur, ut ex ipsorum operibus, et symbolis patet. Nimirum, ut unum, et alterum ar-

gumentum proferamus, sic de Nicaeno Concilio loquitur Augustana Lutheranorum confessio: *Ecclesiae magno consensu apud nos docent Decretum Nicaenae Synodi de unitate essentiae divinae, et de tribus personis verum, et sine ulla dubitatione credendum esse.* Art. I. Atque deinceps haereses omnes in quatuor primis Conciliis damnatas damnat. Calvinistarum vero Confessio a Beza conscripta dicit: *Admittimus quod determinatum fuit per antiqua Concilia, et detestamur omnes sectas, et haereses, quae reiectae fuerunt per sanctos Doctores, ut per S. Hilarium, S. Athanasium, S. Ambrosium, S. Cyrillum.* Art. VI. Sic enim eos docuerat apertissimae Calvinus ipse scribens: *Priscas illas synodos, ut Nicaenam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem ac similes, quae confutandis erroribus habitae sunt, libenter amplectimur, reveremurque ut sacrosanctas, quantum attinet ad fidei dogmata: nihil enim continent, quam puram et nativam Scripturae interpretationem, quam Sancti Patres Spirituali prudentia, ad*

frangendos Religionis hostes, qui tunc emerserant, accommodarunt. Institut. Lib. IV. Cap. IX. 8. Atqui eiusdem naturae sunt posteriora oecumenica Concilia. Ergo eadem ratione ipsorum Decreta venerari, et amplecti necesse est.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Homines, quotquot velis, quum propria industria, et diligentia veritatem inquirunt, falli possunt. Atqui homines sunt Pastores in Concilium congregati, et humana diligentia fidei veritates inquirunt. Ergo errori subiacent.

Resp. Falli quidem possunt homines, qui sola humana industria ac diligentia veritatem investigant; non vero homines, qui divina virtute roborantur, ne in errorem labantur. Atqui eiusmodi sunt Pastores, qui in Synodum oecumenicam congregantur; iis enim, utpote Apostolorum in grege fidelium pascendo successoribus, se omnibus diebus usque ad saeculi finem adfuturum promisit Christus, atque Spiritum Sanctum suum

concessurum, Spiritum scilicet veritatis, ut omnem veritatem eos doceret, atque cum eisdem in aeternum maneret. Ergo falli non possunt tales homines.

Obiic. II. *Ipsa Concilia plenaria* adfirmat S. Augustinus *saepe priora a posterioribus emendari, quum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat.* Lib. II. de Baptis. cap. III. n. 4. Ergo etiam oecumenicae Synodi falli possunt.

Resp. Ex una scriptoris sententia, obscura quidem, et difficili, illud inferre quod plurimis eius sententiis, immo totius operis ab eo conscripti scopo adversatur, sanae critices regulis contrarium esse fatentur omnes. Ex pluribus enim apertis, manifestisque sententiis, et ex totius operis scopo obscura et difficilis explicanda potius est, quam ex illa una obscura et difficili plures clarae, et evidentes, ac operis scopo convenientes reiiciendae. Atqui in septem illis de Baptismo contra Donatistas libris generalium Conciliorum *infallibilem* auctoritatem apertissime confirmat S. Augustinus. Nimirum, ut exem-

pli causa testimonia aliquot excerpamus, quaestionem de haereticis iterum baptizandis dubitationem aliquam afferre potuisse ait, *donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur*, Lib. I. cap. VII. n. 9. *Nec nos ipsi*, addit, *tale aliquid*, valere nempe haereticorum baptismum, *auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae concordissima auctoritate firmati, cui et ipse* (S. Cyprianus) *sine dubio cederet, si iam illo tempore quaestionis huius veritas eliquata, et declarata per plenarium Concilium solidaretur*, Lib. II. cap. IV. n. 5. Hoc autem factum fuisse dicit: *Postea tamen, dum inter multos ex utraque parte tractatur, et quaeritur, non solum inventa est* (veritas), *sed etiam ad plenarii concilii auctoritatem roburque perducta; post Cypriani quidem passionem*, etc. ibid. cap. IX. ne scilicet ullus relinqueretur amplius dubitandi locus. Ergo S. Augustinum oecumenicarum Synodorum *infallibilem* auctoritatem pro certa exploratàque re habuisse tam certum est, quam quod certissimum.

His vero positis, obscuriora illa verba non una ratione explanari possunt. Quibusdam Theologis ita Augustini verba explicare placuit, ut ad disciplinam, non ad fidem, animadverterit S. Doctor, quum illa scripsit, siquidem in disciplinae negotiis falli possunt ipsa oecumenica Concilia. Talem vero interpretationem hoc ratiocinio confirmant. De iis loquitur Augustinus, quae prius ignorata experimento rerum cognoscuntur. Atqui eiusmodi est sola disciplina, nam fides non a rerum experimento, sed a Dei verbo hauritur. Alii autem forsan melius Augustinum de illis Conciliis verba facere existimarunt, quae licet generalia, quia ex orbis Pastoribus collecta, legitima tamen omnino dici nequeunt, ut Ariminense, et Seleuciense, ubi Catholici, per haereticorum fraudes, fidei formulae subscripserunt, quae ambigua quum esset, ipsi Catholico eam sensu intellexerunt, Ariani vero sensu opposito. At rerum experimento fraude detecta, quod imprudenter factum fuerat, in posterioribus Conciliis Pastores ipsi emendarunt. Ergo legitimarum Synodorum auctoritatem non infirmant obiecta S. Augustini verba.

Obiic. III. Verba S. Gregorii Nazianzeni, qui sic ad Procopium scripsit: *Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum; omnem Episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius Concilii finem laetum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem, et incrementum habuerit.* Tom. I. pag. 814. Ed. Lipsiae cIↄIↄcxc. Qui omnem Episcoporum conventum fugiendum existimat, omnium Conciliorum auctoritatem reiicit. Ergo iuxta S. Gregorii sententiam Conciliorum auctoritas repudianda.

Resp. Non omnium omnino Synodorum auctoritatem parvi pendit S. Gregorius, sed earum omnium, quae infausta illa tempestate, quum ea scribebat, Arianorum factione praevalente, cogebantur, atque tristissimo exitu concludebantur, cuiusmodi erant Seleuciensis, Syriensis, Ariminensis, Mediolanensis, Smyrnensis; siquidem ad simile Concilium a Procopio Imperatoris nomine vocatus convenire recusat. At cetera Concilia, oecumenica praesertim, reveretur, et colit. Nimirum Nicaenam Synodum summis laudibus

prosequitur Orat. II. et Constantinopolitanae I. interfuit ipse, et Spiritus Sancti divinam naturam adversus Macedonianos summo studio defendit.

SECTIO. V.

De Romani Pontificis Primatu.

§. I. *Primatus* nomine dignitatem illam intelligunt Theologi, qua Petrus, eiusque successor Ecclesiae caput a Christo constitutus fuit. Quum autem qui societatis alicuius Caput seu Princeps declaratur, potestatem aliquam in ceteros necessario adipiscatur, ut semper contingit, Petrum eiusque successores, a Christo Capitis dignitatem consequutos, potestatem in universam Ecclesiam acquisivisse necesse est. At pseudo-Reformati novam quamdam excogitarunt differentiam, ut summo Pontifici auctoritatem, quam Christus ipse illi contulit, eriperent, inter *primatum honoris*, et *iurisdictionis*, primum Petro a Christo concessum confitendo, non vero alterum. Scilicet Petrum a Chri–

sto ita Ecclesiae Caput declaratum comminiscuntur, ut inter potestate pares primum ipse obtineret locum, quod significat *primatus honoris*; nulla vero ei in ceteros potestas tribueretur, quae *primatum iurisdictionis* constituit. Pseudo-Reformatis in hac haeresi praeivit Wiclefus, et Wiclefo Graeci duce Photio. Nos vero cum Catholica Ecclesia ita Petrum, ideoque et eius successores, Ecclesiae Caput a Christo institutum credimus, ut non honorem tantum, sed et potestatem Capitis, seu Principis acceperit.

§ II. Sed, ne cum haereticis Catholicos confunderemus, in duas partes propositionem nostram discrevimus: altera enim *primatum* tum *honoris*, tum *iurisdictionis*, quem iure divino in Ecclesiam Petrus, eiusque successores habent, complectitur; quod, nullo dubitante, fide tenendum est: altera autem summi Pontificis ex cathedra definientis ασφαλειαν, de qua nonnulli inter Catholicos dubitarunt, comprehendit, quod stricte ad fidem non pertinet. Ideo autem alteram cum altera in eadem propositione coniunximus, quod priorem partem, si recte ratiocinabimur,

consequitur merito altera pars, ut mox demonstrabimus.

P R O P. U N I C A.

Romanus Pontifex institutione divina primatum habet non honoris tantum, sed etiam iurisdictionis. Eiusdem Romani Pontificis definitiones ex cathedra, omnium pene Theologorum consensu, infallibiles sunt, quod tamen expresse non definivit Catholica Ecclesia.

Prob. I. Scripturis. In veteri enim Testamento unum constituit Deus summum Sacerdotem, seu Pontificem, Aaron scilicet, ut satis superque constat, reliquis Sacerdotibus non honore tantum, sed iurisdictione etiam praelatum. Atqui vetus Lex Novae legis figura fuit. Ergo etiam in Nova Lege unum summum Sacerdotem, seu Pontificem ceteris et honore, et iurisdictione praestantem agnoscere fas est. Christum vero Petro Capitis dignitatem, et munus, sive summi Sacerdotii honorem, et iurisdictionem con-

tulisse post praeclaram fidei confessionem ab eo factam, quum ceteris tacentibus dixit, *Tu es Christus filius Dei vivi*, evidentissime ostendunt (1) verba illa, quibus Petrum

(1) Propositionem hanc etiam ex Apostolorum recensione apud Matth. X. 2. Marc. III. 16. Luc. VI. 14. Act. I. 14. probant Theologi, in qua constanter primus numeratur Petrus, ceteris vario ordine recensitis, qui nec tamen a Christo prior vocatus fuit, nec aetate prior erat, siquidem: *Andreas prior in Dominum incidit, quo Petrus erat aetate iunior.* S. Epiphan. Haeres. LI. n. 17. Ne sanctitate quidem aut Christi dilectione ceteris praestabat, quum Ioannes dicatur *discipulus quem diligebat Iesus*, Ioan. XXI. 7. et Iacobus minor sanctitatis eminentia ab omnibus *Iustus* appellaretur. Nec solum primo loco recensetur Petrus, verum etiam apud Matthaeum expresse dicitur πρῶτος, quae vox ibi non est numerandi nota, siquidem reliqui sine ulla nota numerantur, sed dignitatis argumentum. Item animadvertunt Petrum primum indicere Concilium, et ceteris proponere Apostoli, qui Iudae proditoris locum occuparet, electionem ac requisita; Act. I.; Petrum, Pentecostes die, Christi resurrectionem praedicare primum, Act. II; Petrum, etsi una cum Ioanne esset, solum tamen ipsum ad

alloquutus est Christus ipse respondens: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves Regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Matth. XVI. 1, et seqq. Quae verba quisquis serio et bona fide animadvertet, Petro primatum non honoris tantum, sed et iurisdictionis a Christo collatum negare non poterit. Primo

---

populum alloqui, Act. III., Petrum quoque solum in Concilio Iudaeorum pro Ioanne respondere; Petrum denique in Apostolico Concilio de Gentibus circumcisioni non subiiciendis sententiam proferre primum, Act. XV. Igitur Petro *primatum* a Christo tributum fuisse concludunt. *Initium est a Petro factum ..... quare Petrum discipulorum Principem elegit* Christus, apposite Epiphanius. Haeres. LVII. n. 17. Sed eiusmodi argumenta ideo praetermisimus, quod facilius ab adversariis de solo *primatu honoris* intelligenda esse obiici posset. Attamen dubitari nequit, quin firmioribus coniuncta ad Catholicum dogma confirmandum novum robur addant.

namque veram, gravem, et solidam fidei confessionem, quam summis laudibus extulit Christus, vera, gravi, et solida dignitate, non ventoso honore (quod quidem Deo indignum) remunerare voluit Christus ipse. Deinde talem dignitatem maxima et amplissima oratione complexus est, *petrae* praesertim, et *clavium* metaphora solidam, et summam potestatem exprimens. Itaque duo haec non vanum, et inanem honorem, sed veram, et solidam potestatem a Christo Petrum accepisse satis ostendunt. Praeterea quum discipulis in Tiberiadis littore apparuisset Christus, nonnullis ex reliquis Apostolis praesentibus, solum Petrum, ter interrogatum num se diligeret, prae ceteris alloquutus est his verbis, primo scilicet, et iterum: *Pasce agnos meos*, tertio autem: *Pasce oves meas.* Ioan. XXI. 15. et seqq. Quibus sane verbis non fideles tantum agnis comparatos, sed etiam Pastores comparatos ovibus pascendi facultatem se illi concedere significavit certe quidem Christus. Ad rem Christi verba sic interpretatur S. Eucherius, Lugdunensis Episcopus: *Prius agnos,*

deinde oves commisit ei, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos, et praelatos. Omnium igitur Pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est. Serm. de Natal. SS. Apostol. Petri, et Pauli, qui Eusebio Emisseno falso inscribitur. Eam quoque rationem animadvertere iuvat, quam innuit S. Bernardus, dum Christi verba exponens sic Eugenio III. scribit: *Sunt quidem et alii caeli ianitores, et gregum Pastores.....habent sibi assignatos greges, singuli singulos. Tibi universi crediti, uni unus. Non modo ovium, sed et Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem quaeris? Ex verbo Domini..... « Pasce oves meas ». Quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi Regni? » Oves meas » inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte praesentes ceteri condiscipuli erant, quum committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno*

grege et uno pastore...... Inde est quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes scientes sacramentum. Deinde Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiae, una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens. De considerat. Lib. II. Cap. VIII. pag. 34, 35. T. III. Paris 1642.

Prob. II. Patribus, qui Petrum Apostolorum Principem fuisse a Christo constitutum non honoris tantum, sed et iurisdictionis causa affirmant. Nam Origenes docet tanto ampliorem prae ceteris Apostolis potestatem Petrum accepisse, quanto in omnibus caelis praestantius est quam in uno tantum caelo ligare et solvere. *Si ad evangelica scripta*, inquit, *animum diligenter appellamus, ibi magnum inveniemus discrimen, et excellentiam eorum quae Petro, prae iis quae aliis dicta sunt, etiam in iis rebus, quae Petrum inter ceterosque, communes esse videntur. Nec enim exigua differentia est claves non unius caeli Petrum, sed plurimorum accepisse; et quaecumque super terram alligaverit, non in uno caelo, sed in omnibus ligata*

esse, prae pluribus aliis qui super terram et alligant et solvunt, ita ut haec alligata et soluta sint non in caelis, sicut Petro concessum est, sed in uno caelo. Origenes, T. XIII. in Matth. n. 31. sub fin. S. Basilius vero Petrum non honore tantum, sed iurisdictione quoque ceteris praelatum ostendit, quum ait ex Apostolis universis unice illum a Christo tum laudum praeconiis exortatum, tum dignum habitum, cui claves Regni Caelorum concrederentur: *Beatus ille Petrus, omnibus discipulis praelatus, cui soli maiora data quam aliis sunt testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves Regni caelorum concreditae sunt.* Serm. de Iudicio Dei, n. 7. pag. 221. T. II. Paris 1722. Deinde S. Ambrosius Petrum *Ecclesiae firmamentum* nominat, atque *eum Ecclesiae praepositum, pastoremque Dominici gregis electum fuisse* testatur, De Virginit. cap. XVI. n. 105. Enarrat. in Psalm. XLVIII. n. 40. Similiter Petro totam Ecclesiam suam subiecisse comprobat his verbis S. Ioannes Chrysostomus *Petrus itaque chori illius* (Apostolorum) *coryphaeus, os Apostolorum omnium, caput*

illius familiae, orbis totius praefectus, fundamentum Ecclesiae. Homil. in illud *Hoc autem scitote* (II. Tim. III. 1.) n. 4. pag. 282. T. VI. Paris 1724. Praeterea hanc ob rationem Petro Ecclesiae Principatum a Christo tributum adserit S. Hieronymus, ut schismatis tolleretur occasio; quod verum non esset, si honore solo, non autem et iurisdictione ceteris praecelleret: *Super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves Regni caelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Lib. I. contra Iovinianum, cap. XIV. pag. 168. T. IV. Paris 1706. Insuper S. Leo Magnus universalis Ecclesiae regendae causa Petro ipsam potestatem suam Christum communicasse dicit: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen pro-*

prie regat Petrus quos principaliter regit et Christus . . . . . . Quum ego sim inviolabilis petra . . . . . tamen tu quoque (sic Christi verba » Tu es Petrus » etc. explicat) *petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Serm. III. de Assumpt. sua ad Pontific. pag. 53. T. I. Lugduni 1700. Denique S. Gregorius Magnus opportune concludit: *Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiae cura commissa est.* Lib. V. Epist. XX. ad Mauritium. pag. 748. T. II. Ed. MM. Venet. 1744.

Quum autem certum exploratumque sit Petrum totius Ecclesiae *primatum* non honoris tantum, sed et iurisdictionis a Christo recepisse, dubitari nulla ratione potest, quin eumdem primatum teneat Romanus Pontifex, qui Petro legitime succedit, ut vel ipsimet Adversarii fatentur. Dum enim totis viribus Petro honorem tantum, non vero iurisdictionem, a Christo collatam ostendere contendunt; non aliam ob causam id fa-

ciunt, ut patet, nisi ut Romani Pontificis auctoritatem evertant: ideoque hunc illius successorem vel ipsis suis conatibus declarant. Nimirum Pontificem Romanum S. Petro Apostolorum Principi succedere tam certum est, quam quod certissimum. Primum enim id manifeste contestantur Patres. De Cornelii scilicet Romani Pontificis electione scribit S. Cyprianus: *Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei, et Christi eius iudicio.... quum Fabiani locus, id est quum locus Petri, et gradus Cathedrae sacerdotalis vacaret.* Epist. LV. Et alibi de eodem Cornelio scribens inquit: *Post ista adhuc insuper pseudo-Episcopo sibi ab haereticis constituto* (Felicissimus et Fortunatus schismatici) *navigare audent et ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem .... nec cogitant eos esse Romanos*, etc. S. Cypriano consentit S. Optatus Milevitanus qui Pontifices Romanos a Petro ad Siricium usque connumerans ait: *Cathedra unica est, quae est prima de dotibus .... Sedit prior Petrus, cui successit Clemens,*

Clementi Anacletus......... Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, qui noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio............in una communionis societate concordat. Lib. II. contra Parmenianum. Utrique concinit S. Augustinus: *Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus .... Damaso Siricius, Siricio Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur............In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eamdem Cathedram tenet, etc.* Ep. LIII. Ed. MM. nn. 2. 3.

Praeterea Romanam sedem seu Ecclesiam ut Ecclesiarum omnium matrem, et principem agnoverunt Patres omnes, et oecumenica Concilia. Nimirum *ad hanc Ecclesiam*, Romanam scilicet (scribit S. Irenaeus) *propter potiorem principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam,* Adv. Haeres. Lib. III. cap. III. Atque idem S. Irenaeus, quum Victor Romanus Pontifex in Paschatis con-

troversia *Asiae Episcopos anathemate percellere cogitabat, eum monuit, ne tam multas Ecclesias propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpatae observationem, a corpore universae Christi Ecclesiae amputaret*, ut narrat Eusebius, Hist. Eccles. Lib. V. cap. XXIV. De S. Stephano autem Pontifice Romano, qui Africanorum Episcoporum sententiam de haereticis rebaptizandis damnavit, ita scribit Lirinensis: *Tunc beatae memoriae Stephanus Apostolicae sedis Pontifex cum ceteris collegis suis, sed tamen prae ceteris, restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat*, Commonitor. cap. V. Deinde Concilii Milevitani nomine haec Innocentio I. Romano Pontifici scribebat S. Augustinus: *Arbitramur, adiuvante misericordia Domini nostri Iesu Christi, qui te et regere consulentem, et orantem exaudire dignatur, auctoritati sanctitatis tuae de Sanctarum Scripturarum auctoritate depromptae facilius eos, qui tam per-*

versa, et perniciosa sentiunt, esse cessuros, Epist. CLXVI. Ed. MM. n. 5. Nec ullum profecto reperies generale Concilium, quod Romani Pontificis auctoritatem non agnoverit, ut aliquot exemplis brevitatis studio comprobamus. Sic enim Silvestro Papae scribit Nicaena I. Synodus, cui ipsius Silvestri Legati praefuerunt Osius Cordubensis Episcopus, Vitus et Vincentius Romani presbyteri: *Quoniam omnia corroborata de divinis mysteriis ecclesiasticae utilitatis, quae ad robur pertinent Sanctae Ecclesiae Catholicae, et Apostolicae, ad sedem tuam Romanam explanata, et de Graeco redacta scribere confitemur, nunc itaque ad vestrae sedis argumentum accurrimus roborari....... Quidquid autem constituimus in Concilio Nicaeno, precamur vestri consortio confirmetur.* Labb. Tom. II. pag. 58. Deinde Ephesina Synodus oecumenica III. cui primum praesedit S. Cyrillus Alexandrinus Apostolicae Sedis Legatus, deinde Arcadius et Proiectus Episcopi, ac Philippus presbyter Romanus item Papae Legati, ita loquitur :

Apostolica, et Sancta Sedes Coelestini Sanctissimi Episcopi per litteras, quas ad religiosissimos Episcopos, ad Cyrillum inquam Alexandrinum, et Iuvenalem Hierosolymitanum, et Rufum Thessalonicensem, nec non ad Sanctas Constantinopolis, et Antiochiae Ecclesias misit, etiam ante de praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit, quam nos quoque sequuti..... formam illam executioni mandavimus, canonicum, Apostolicumque iudicium in illo proferentes. Act. II. Labb. Tom. III. pag. 618. Postea IV. oecumenicum Concilium, Chalcedonense scilicet, cui praefuerunt similiter Apostolicae Sedis Legati Paschasius Lilybaetanus, et Lucentius Asculanus Episcopi, Bonifacius et Basilius presbyteri ad Leonem Papam scribebat: *Quibus* (nempe 520 Patribus simul in Concilio collectis) *tu quidem sicut membris caput praeeras in his, qui tuum tenebant ordinem ..... Haec sunt, quae tecum, qui Spiritu praesens eras, et complacere tamquam fratribus deliberasti, et qui pene per tuorum vicariorum sapientiam videbaris a*

nobis , effecimus. Indicamus vero , quia et alia quaedam pro rerum ipsarum ordinata quiete , et propter Ecclesiasticorum Statutorum definivimus firmitatem, scientes, quia et vestra Sanctitas addiscens et probatura , et confirmatura est eadem. Labb. Tom. IV. pag. 833. et seq. Denique Lateranensis IV. Synodus, *magnum Concilium* αυτονομαστικως appellata, et Florentina Romani Pontificis primatum non honoris tantum, sed et iurisdictionis conceptis verbis definiverunt. Prior enim ita decrevit: *Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum.* Labb. T. XI. part. I. pag. 153. Altera vero Graecis cum Latinis consentientibus : *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri....... totiusque Ecclesiae caput...... et ipsi in Beato Petro......gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse*, Labb. Concil. Tom. XIII. pag. 515.

Prob. II. propositionis pars. Romanum Pontificem ea, quae fidem, et mores spectant, *ex cathedra* (1) definientem errare non posse probat primo, quod in antiquo foedere Summo Pontifici privilegium hoc concesserit Deus. Atqui multis rationibus veteris summi Sacerdotis auctoritas et dignitas Romani Pontificis auctoritate, et dignitate longe inferior erat; et tamen ille praerogativam hanc nunquam non habuit, ut Caiphae exemplum mirifice ostendit, de quo Christi mortem proclamante legimus: ***Quum esset Pontifex anni illius dixit..... Hoc autem a semetipso non dixit, sed quum esset Pontifex anni illius prophetavit.*** Ioan. XI. 49. 51. Deinde comprobant eaedem illae Scripturarum sententiae, quibus in prima parte usi sumus *primatum iurisdictionis* ab haereticorum iniuriis vindicantes. Si enim Romanus Pontifex est *petra,* super quam a Christo fundata est Ecclesia, atque Eccle-

(1) Definitiones *ex cathedra* appellantur dogmaticae decisiones, quas universae Ecclesiae, veluti ipsius caput, proponit summus Pontifex.

siam, quae est credentium coetus, constituat fides, in fide firmissimus sit oportet; aliter fundamento vacillante, aedificium necessario vacillabit, quod fieri non posse declaravit Christus, quum addidit: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Deinde si *claves Regni caelorum* ipse accepit, et in Regnum caelorum sine fide nullus ingreditur, nam *sine fide impossibile est placere Deo*; ubi ea quae fide tenenda sunt sine erroris periculo non valeat explanare, *claves Regni caelorum* frustra in manibus habet. Denique si agni, et oves ab ipso pascendi sunt, et *verbum vitae* primum ac praecipuum est pascuum; ex quo omnia alia pascua derivant, verbum hoc certe quidem omni firmitate explicet ipse necesse est. Praeterea dictis Scripturarum sententiis illa Christi verba adiungenda sunt: *Simon Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Luc. XXII. 32. Nimirum, quum adhuc Sanctum Spiritum implorarent in coenaculo Apostoli, et Discipuli, Iudae prodi-

toris successorem eligendum proponens, duas Psalmorum propheticas sententias explanavit Petrus, Act. I. 16. 20., quod quidem ipsum Scripturarum *infallibilem* interpretem a Christo in Ecclesia constitutum apertissime ostendit.

Eamdem veritatem confirmant non obscura Patrum testimonia. De Romanis enim ad Cornelium Romanum Pontificem scribens S. Cyprianus haec affirmat: *Ad quos perfidia habere non possit accessum.* Ep. LV. Eutychetem vero monet S. Petrus Chrysologus, *ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendat; quoniam B. Petrus, qui in propria sede et vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.* Ep. ad Eutychet. part. I. Conc. Chalcedon. Labb. T. IV. pag.38 Sic praeterea de Ecclesia Romana loquitur S. Irenaeus: *Eam, quam habet* (Roma) *ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes haereticos.* Lib. III. adv. Haeres. cap. III. n. 5. Item

Damaso Romano Pontifici scribit S. Hieronymus : *A pastore praesidium ovis flagito.......... Cum successore piscatoris ....loquor...........Beatitudini tuae , id est Cathedrae Petri communione consocior.........Obtestor Beatitudinem tuam per crucifixam mundi salutem .....ut mihi litteris tuis sive tacendarum , sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.* Ep.XV. Opp. T.I. pag. 57. et seqq. Edit. Vallars. Insuper Romanos Pontifices ab haeresi semper aversos fuisse ostendit Donatistis S. Augustinus : *In illum ordinem Episcoporum , qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium , qui nunc eomdem cathedram sedet , etiamsi quisquam traditor .....subrepsisset , nihil praeiudicaret Ecclesiae , et innocentibus Christianis : quibus Dominus providens , ait de praepositis malis :* Quae dicunt , facite ; quae autem faciunt , facere nolite : dicunt enim , et non faciunt (Matth. XXIII. 3.). *Ut certa sit spes fidelis , quae non in homine , sed in Domino collocata , nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur.* Epist. LIII.

Cap. I. n. 3. T. II. pag. 91. Ed. MM. Similiter S. Theodorus Studita Romano Pontifici scribens ait: *Vos igitur vere illimis fons, ac sincerus iam inde a principio verae fidei: Vos ab omni haereticorum procella longe positi, securus totius Ecclesiae portus: Vos electa a Deo civitas ad salutis refugium.* Ep. ad Paschalem.

Denique ratione Theologica comprobatur eadem veritas. Male enim Ecclesiae suae necessitatibus consuluisset Christus, si Ecclesiae ipsius caput, sui Vicarium, errori in fide obnoxium reliquisset. Quum scilicet nunquam verae fidei sinceritatem maculare non contenderint haeretici, et oecumenica Concilia congregare prioribus praesertim Ecclesiae saeculis difficillimum negotium fuerit; nulla tunc fuisset suprema, et *infallibilis* auctoritas, quae in vera fide Christi discipulos confirmaret, et ab Ecclesia pestiferos haereticos eiiceret, eorumque errores damnaret. Atqui de Christo, qui est ipsa sapientia, et qui *dilexit Ecclèsiam, et seipsum tradidit pro ea etc.* Ephes. V. 25. hoc omnino dici nequit. Ecclesiae igitur caput, Christi in terra Vica-

rius, cuiuslibet erroris in fide et moribus *ex Cathedra* docens immunis est. Ratiocinationem hanc confirmare videtur perbelle S. Augustinus, ubi ait: *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quasi nulla haeresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit; quum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit?* Contra duas Epistolas Pelag. Lib. IV. cap. XII.

Obiecta Diluuntur.

Obiic. I. Verba illa *super hanc petram* vario sensu interpretantur Patres. Nimirum quidam de Christo intelligunt; siquidem *Ecclesia*, ut scribit S. Augustinus, *fundata est super petram, unde Petrus nomen accepit. Ideo quoque ait Dominus:* Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: petra enim erat Christus, *super quod fundamentum etiam aedificaturus esset Petrus.* Serm. XIII. de verbis Domini. Alii vero de fide, qua Christi Deitatem con-

fessus est Petrus; quandoquidem sic loquitur S. Cyrillus Alexandrinus: *Petram opinor nihil aliud, quam inconcussam, et firmissimam discipuli fidem appellans, super quam ..... fundata est Ecclesia.* Ergo nihil probant.

Resp. Variae Patrum interpretationes, quibus Christi verba exponunt, allatam ad Petri primatum demonstrandum interpretationem non excludunt, immo magis confirmant. Quod namque ad priorem interpretationem nobis obiectam, primarium ac natum ut ita dicam, Ecclesiae fundamentum sine ulla dubitatione Christus est; *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus*, ut inquit Apostolus I. Cor. III. 11. Atqui Christus ipse Petrum Ecclesiae fundamentum constituit, dignitatis et auctoritatis suae participem efficiendo. *Nam*, apposite S. Basilius, *Christus Dominus vere est immobilis Petra, Petrus vero propter Petram. Dignitates namque suas Iesus largitur aliis; largitur autem eas, nec illis spoliatur. Lux est*: Vos estis lux Mundi, *inquit. Sacerdos*

est; et facit Sacerdotes. Ovis est, et dicit: Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. *Petra est, et petram facit. Quae sua sunt, largitur servis suis.* Hom. de Poenitentia. n. 4. Vide etiam, si lubet, S. Hieronymum in cap. XVI. Matth. qui eodem modo ratiocinatur. Quod vero ad alteram obiectam interpretationem, primo animadvertendum, quod quum duplici modo Christi verba explicasset S. Augustinus, et de Petro scilicet, et de eius fide, *quae sit probabilior*, addidit, *eligat lector*, Retract. Lib. I. cap. XXI. Atqui longe probabilior prima, tum quia illam maior Patrum pars exhibet, tum quia verbis magis congruens, et conveniens. Deinde, etsi alteram interpretationem omnino eligere quisquis velit; quum Christus dicat super Petri fidem se aedificaturum Ecclesiam suam, adversus quam portae inferi non praevalebunt, Petri fidem nunquam defecturam, nec in Petro videlicet, nec in eius successoribus, pollicetur; Petrum nempe, eiusque successores in fide adeo firmos futuros promittit, ut super eorum fidem inconcussa, et immobilis stet

Ecclesia. Petro igitur, eiusque successoribus in fide *infallibilitatem* Ecclesiae sustinendae aptam concedit, quod est praecipuum, et maximum *Primatus* privilegium.

Obiic. II. Quae Petro concessit Christus, eadem et ceteris Apostolis contulit. Omnibus enim Apostolis dixit: *Quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis, et quaecumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in caelis.* Matth. XVIII. 18. Item omnibus ait: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* Ioan. XX. 21. *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*, Matth. XXVIII. 19. Quamobrem iure concludebat S. Cyprianus: *Hoc utique erant ceteri Apostoli, quod fuit et Petrus, pari consortio praediti et honoris, et potestatis.* De Unit. Eccles.

Resp. In Petro duplicem personam considerare oportet; alteram, quam una cum reliquis Apostolis; alteram, quam solus prae reliquis a Christo suscepit. Petrus enim fuit, aeque ac alii, Apostolus, ideoque una cum aliis Verbi divini praedicandi, et Sacramenta ministrandi munus suscepit. Attamen prae ce-

teris solus Ecclesiae Caput a Christo constitutus fuit; ideoque illi soli singularibus, ac praestantissimis verbis ea dicta sunt, quae in propositione demonstranda expendimus; quod S. Cyprianus ipse satis superque innuit, quum obiectis verbis addit: *Sed exordium ab unitate proficiscitur; primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur.* Ibid. Atque alibi clarius: *Navigare audent et ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.* Ep. LV. Quid enim, quaeso, significat *Ecclesia principalis*, nisi Ecclesia omnium princeps? Eccur vero ab hac Ecclesia *unitas Sacerdotalis exorta est*, nisi quia unus huius Ecclesiae Sacerdos ceteris omnibus praeest?

Obiic. III. Paulus eamdem auctoritatem obtinuit, quam Petrus, immo maiorem. Nimirum sic idem Paulus scribit: *Creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis; qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes: et quum cognovissent gratiam, quae data est mihi,*

Iacobus, et Cephas, et Ioannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi, et Barnabae societatis. Gal. II. 7. 8. 9. Et paulo post: *Quum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Ibid. 11. Praeterea Petrus, et Paulus Apostolorum Principes appellantur ambo; ac utrumque Romae Episcopum consedisse affirmant Patrum nonnulli. Denique Paulum affecit *sollicitudo omnium Ecclesiarum*, ut ait ipsemet, II. Cor. XI. 28.

Resp. Quod ad primum adtinet, Petrus ab initio Iudaeis, ut patet ex Act. capp. II. III. IV. Evangelium prior omnibus preadicavit, Iudaeis inquam, qui ad Christum conversi nascentem Ecclesiam constituebant; Petrus ipse Christi fidem Gentibus prior omnibus divina electione tradidit, ut ex Act. Apostol. cap. X.: quare Apostolos, et seniores sic alloquutum fuisse Petrum legimus: *Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus elegit Deus per os meum gentes audire verbum Evangelii, et credere,* Act. Apostolor. XV. 7. Igitur Petro cum in Iudaeorum, tum in Gen-

tium conversione primas partes concessit Deus ipse. Quod vero ad alterum spectat, si Petrum arguit Paulus (aliqui enim non de Petro Apostolo, sed de alio ex discipulis eiusdem nominis verba illa interpretantur), non iudicis auctoritate, sed fratris amore, non erroris in fide, sed nimiae erga Iudaeos indulgentiae arguit. Quod ad tertium, Principes Apostolorum vocantur Petrus, et Paulus, non potestatis aequalitate, sed zeli in propaganda ac defendenda Evangelii doctrina ardore: Romae vero constitit uterque in locali Romanae urbis ac dioecesis regimine secundum citatos Patres, non in Ecclesiae universalis *primatu*. Demum Paulum affecit omnium Ecclesiarum sollicitudo, quod a Deo electus ad praedicandum Evangelium gentibus animarum zelo inflammabatur, non quod universae Ecclesiae illum praefecisset Deus.

Obiic. IV. Petrum nunquam Romae fuisse, vel saltem nunquam Romanam Ecclesiam Episcopali auctoritate rexisse multa evincunt: nempe Sacrarum Scripturarum silentium; Historicorum circa tempus, quo Romam petierit Petrus, discordia; Pauli epistola ad

Romanos, quae profecto his scripta non fuisset a Paulo, si Romae commoraretur Petrus. Ergo Romanus Pontifex non est S. Petri successor.

Resp. Petrum, Ecclesia Antiochena fundata, atque per aliquot annos gubernata, Romam advenisse, eamque Episcopali auctoritate gubernasse, atque ibidem Christi fidem proprio sanguine consignasse tam certum est, quam quod certissimum. Nimirum ducentorum fere Patrum, atque Ecclesiasticorum Scriptorum testimonia citat Iodocus Coccius Tom. I. Lib. VII. art. 5. quem vide, si lubet. Quorum nos aliqua tantum brevitatis studio afferemus. Ac primum de Romana Ecclesia scribit Tertullianus: *Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominicae adaequatur!* De praescript. cap. XXXVI. Nec non S. Irenaeus Apostolorum discipulus, *maximas* adfirmat *a gloriosissimis Apostolis Petro, et Paulo Romae fundatas, et constitutas esse Ecclesias.* Lib. III. adv. haeres. cap. III. n. 2. Deinde, ut narrat Eusebius:

Petrus Apostolus, quum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur; ubi Evangelium praedicans, viginti quinque annis eiusdem urbis Episcopus perseverat. Chronic. anno 33. pag. 160. Edit. Scaliger. Praeterea S. Hieronymus: *Simon Petrus .... ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit.* De Scriptor. Ecclesiast. Cap. I. Tom. IV. part. II. pag. 101. Ed. MM. Quid quod Apostolus ipse Petrus id satis superque innuit sic scribens: *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta?* Ep. I. cap. V. 13. *Babylonem* (sic enim secundum veterum interpretationem verba haec Apostolorum Principis exponit Grotius) *veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitabit.* In cit. Apostoli testimonium Tom. VIII. Criticor. Sacr. pag. 1750. Quamobrem de S. Petro sic loquitur Calvinus ipse: *Propter Scriptorum consensum non pugno, quin illic* (Romae) *mortuus fuerit.* Instit. Lib. IV. cap. VI. n. 15. Atque confirmat Lutherus

impudentissime sibi contradicens pro more: *Omnes historiae testantur Petrum primum fuisse Romae Episcopum, sed merae sunt fabulae.* Colloqu. Mens. de Antichr. Quibus positis testimoniis, Romanum Petri Pontificatum constantissime confirmantibus, opposita argumenta mere negativa nihil continere roboris facillime quisquis animadvertit. Quid enim probat Sacrarum Scripturarum silentium, quamquam et id falsum sit ex ipsius Petri testimonio paullo ante prolato, quum tot tantisque lucidissimis argumentis comprobet Traditio? Scriptorum vero de tempore, quo Romam advenerit Petrus, dissensio nedum factum ipsum infirmat; comprobat potius, ac magis magisque confirmat. Quum enim utrum decimo sexto, vel decimo octavo Tiberii anno, Romam profectus fuerit Petrus, disputant, Petrum ipsum Romam advenisse consentiunt omnes. Quod vero Romanis epistolam scripserit Paulus, eo tempore accidere potuit, quo Petrus Roma aberat, alias Ecclesias vel constituens, vel visitans, quod non semel contigit.

Obiic. V. Romanorum Pontificum successio

omnino certa non est. Primo enim dubitatur num Linus, an Clemens primum Petro successerit; deinde non unus in sedem Romanam contra ius et fas se intulit, et intrusit; tertio septuaginta quatuor annorum spatio a Clemente V. scilicet usque ad Gregorium XI. Summi Pontifices Avenione in Gallia, non Romae resederunt; demum duo vel tres aliquando se Petri locum tenere contenderunt, quod accidit praesertim anno 1380, et ad Constantiensem Synodum usque perduravit, quadraginta scilicet annis.

Resp. Quod ad primum, dubitatio utrum Linus, an Clemens Petro successerit, ad rem non facit; immo unum Petro successisse, quisquis ille fuerit, Linus, an Clemens, an alius, aperte ostendit. Quod ad secundum, vel iniuriosus Pontifex ab universali Ecclesia receptus fuit, et legitimus evasit Petri successor; vel ab universali Ecclesia reiectus, et ad interregnum res adducta est, interregnum autem successionem non destruit. Quod ad tertium, Summi Pontifices Avenione residentes Romani Pontificatus munera obierunt, ideoque Romani Pontifices,

non Avenionenses iure meritoque censentur. Quod ad postremum, schismatis tempore vel unus ex contendentibus iustus erat, et legitimus Pontifex, licet non omnibus cognitus, vel ad interregnum res rediit; utroque tamen casu interrupta non fuit legitima successio.

Obiic. VI. Romanorum Pontificum plerique a fide aberrarunt, Petri exemplum sequuti, qui Antiochenos ad Mosaicas caeremonias adhibendas compulit. Nimirum Artemonis haeresim, qui Christum merum hominem esse docebat, complexus est Victor; Montani haeresim Zephyrinus; Arii Liberius; Pelagii Zosimus; Photini, et Acacii Anastasius II.; Monothelitarum Honorius. Praeterea Stephanus dum haereticos non esse iterum baptizandos docuit, in Ecclesiam admisit eos etiam, qui Evangelicis verbis non fuissent baptizati, ut contendit Blondellus; et Marcellinus idolis thus adhibuit, ut ipsemet in Sinuessano Concilio confessus est.

Resp. Profecto nugantur Adversarii, dum pro factis mendacia nobis obiiciunt. Petrus enim, si a Paulo reprehensus fuit, non er-

roris contra fidem, sed nimiae erga Iudaeos indulgentiae reprehensus fuit. S. Victor ab Artemonis haeresi, in quam prolapsum fuisse per meram calumniam dictitant Artemonis discipuli, adeo abhorruit, ut Theodorum Coriarium haereseos illius ducem ab Ecclesia eiecerit. Montani errores a S. Zephyrino damnatos testantur Tertullianus nondum Montanista, et Caius coaevus Scriptor. Liberium priori fidei formulae, Catholicae scilicet, non secundae, nempe Arianae, subscripsisse demonstrant Baronius ad an. 357. Tom. II. et Natalis Alexander In Hist. Saec. IV. Dissert. XXXII. : sed etiamsi alteri formulae subscripserit, id non ex cathedra docens effecit, sed ex cathedra in exilium pulsus, et metu quam gravissimo agitatus: nam antea Constantii Imperatoris minis minime deterritus Nicaenam fidem propugnavit, atque in exilium pelli se potius, quam a vera fide deficere passus est; et postea Arianorum perfidiae, et Ariminensi conciliabulo restitit constantissime exilio iterum a Valente mulctatus. Zosimus litteras Basilisco misit, ac Pelagii, et Coelestii causam ad se

referri iussit dubitans, an aliquid contra istos accusatorum fraude, Africani Episcopi iniuria decrevissent; ideoque *voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est* a Zosimo, ut scribit S. Augustinus Lib. II. ad Bonifacium cap. II. Caelestius enim Zosimo scripserat *se omnia, quae Sedes Romana damnaret, damnaturum*; quum tamen coram Pontifice se sisti detrectasset Caelestius, ab eo damnatus fuit, ut testatur idem S. Augustinus loc. cit. et Lib. de pecc. origin. cap. VI. Anastasii II. cum Photino, et Acacio communicantis fabellam detegit insignis anachronismus. Acacium enim sub Felice II. vulgo III. mortuum testantur Nicephorus Lib. XVI. cap. XII. Evagrius Lib. III. cap. XVIII. ceterique; at Felici successit primum Gelasius, deinde Anastasius. Denique Honorii epistolae ad Sergium, et ad Ecclesias Orientales scriptae nil definiunt, sed silentium in unius vel duplicis voluntatis quaestione ad Ecclesiae definitionem usque servari iubent; atque ideo catholico sensu exponi possunt, ut illas exposuerunt Ioannes IV. S. Maximus Martyr,

et Anastasius Bibliothecarius, quorum loca recitat Nat. Alex. In Hist. Sec. VII. Dissert. II. Prop. 3. Sextae Synodi acta interpolata fuisse in ea parte, quae Honorii damnationem respicit, contendit Baronius; at etiamsi germana sint, Honorii Monothelitarum haeresim iam emergentem non reprimentis, et haereseos Auctoribus nimis indulgentis culpam, non ex cathedra definientis errorem damnavit Sexta Synodus.

Quod vero ad S. Stephani decretum, his verbis expressum fuit: *Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Atqui traditum, quod Baptismus, modo debita materia, ac forma administratus fuisset, ubicumque, et a quocumque id factum esset, valeret. Ergo a S. Stephani decreto non consequitur, quod Blondellus contendit. Demum S. Marcellini idololatriam, eiusque veniam in Sinuessano Concilio obtentam, inter meras putidasque fabellas reiiciendam iamdiu demonstrarunt Daniel Papebrochius, Antonius, et Franciscus Pagius, Natalis Alexander, ce-

terique; germana autem veteris Historiae scripta, Eusebii praesertim, et Theodoreti, egregios S. Marcellini mores praedicant, de eius idololatria, ac poenitentia ne verbum quidem faciunt. De Sinuessani Concilii actibus inter pseudo-Isidori merces recensendis, aut Donatistae alicuius fraudibus tribuendis vide Baronium ad ann. 302. Tom. 2.

Obiic. VII. Sanctus Gregorius Magnus *Episcopi universalis* nomen vehementer improbat his verbis: *Ego fidenter dico, quia quisquis se Universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum praecurrit, quia superbiendo se ceteris praeponit.* Lib. VI. ep. XXX. Ergo Romani Pontificis in Ecclesiam Universalem primatum negat. Praeterea Romae Episcopum Alexandrino, et Antiocheno aequalem facit Nicaena I. Synodus his verbis: *Constitutum est, ut Episcopus Aegypti, id est, Patriarcha Alexandrinus praesideat, et habeat potestatem totius Aegypti, quia sic convenit, et quia similiter Episcopus Romae, id est, successor Apostoli Petri potestatem habet omnium civitatum, et*

locorum, quae sunt circa eam, ac similiter Episcopus Antiochenus, id est, Patriarcha potestatem habet provinciae illius totius. Can. VI.

Resp. Eo sensu *Episcopi universalis* nomen improbavit S. Gregorius, quo affectabat Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus, qui scilicet sibi soli Episcopi nomen, praeterea nemini, convenire contendebat, ut patet ex ipsius S. Gregorii epistolis. Sic enim dictum Patriarcham redarguit: *Qui indignum te fatebaris, ut Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, ut despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari.* Lib. V. Ep. XVIII. pag. 741. T. II. Ed. MM. Et paulo post rationem refert, ob quam Romanorum Pontificum nullus nomen illud sibi vindicaverit: *Ne, si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.* Ibid. pag. 743. Eamdem rationem attulerat Pelagius II, qui S. Gregorium praecessit: *Nullus Patriarcharum hoc tam profano vocabulo unquam utatur, quia si summus Patriarcha univer-*

salis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur, Tom. V. Conc. Labb. pag. 949. Atqui hoc sensu *Episcopi universalis* nomen iure meritoque reprobat S. Gregorius, ac *nomen blasphemiae*, *stultum ac superbum vocabulum* appellat. Quid vero ex hoc adversus Romani Pontificis in Ecclesiam universalem primatum consequitur? Nihil certe quidem. Nimirum idem S. Gregorius supremae potestatis iuribus usus est in Siciliae Episcopos, Lib. II. Indict. X. ep. IV. in Episcopos Africae, ep. XXXII. in Galliae Episcopos, Lib. VII. Indict. II. ep. CXII. in Episcopos Dalmatiae. Lib. V. ep. XXVI. in Hispaniae Episcopos, Lib. XI. ep. 50. in Episcopos Graeciae, Lib. V. ep. VII.; atque supremam ipsam potestatem clarissime significavit, ubi praesertim de Constantinopolitana Ecclesia, quae prae ceteris Romanae Sedis auctoritati se subtrahere moliebatur, scripsit: *Quis eam dubitet sedi Apostolicae esse subiectam? Quod et Dominus piissimus Imperator, et frater noster Eusebius eiusdem civitatis Episcopus assidue profitentur.* Lib.IX. ep.XII. pag.941,

T. II. Opp. Ed. MM. Venet. 1744. Quod autem ad Nicaenae Synodi Canonem adtinet, ibi Patriarchalis Romani Episcopi dignitas cum Alexandrini, et Antiocheni Patriarchae dignitate, non suprema in universalem Ecclesiam potestas confertur. Romanus enim Pontifex, non solum est universae Ecclesiae caput et princeps, sed Romae Episcopus, Romanae Provinciae Metropolites, Italiae Primas, atque Occidentis Patriarcha. Ad eamdem Patriarchalem dignitatem spectant Concilii Chalcedonensis verba, Can. XXVIII.

Sectio VI.

De Patribus.

Patrum nomine appellantur Ecclesiastici illi Scriptores, qui universali Ecclesiae consensu a Deo dati habentur, ut fidei doctrinam omnis erroris immunem unanimi testimonio Christi discipulis traderent, atque ab haereticorum mendaciis defensam custodirent, incolumemque servarent. Tales autem existimantur floruisse ab Ecclesiae initio ad decimum

tertium usque seculum, doctrinae, ac pro maxima eorum parte sanctitatis etiam fama, ita ut Patrum agmen claudat S. Bernardus: non quod postea viros in divina doctrina tradenda praestantes, ac cum prioribus illis forsan comparandos non habuerit Ecclesia, sed quod mos hic invaluerit, ut recentiores, et qui alia methodo res divinas pertractarunt, Patrum loco non recenseantur.

P R O P.

Quod Patres ad fidem pertinere uno ore docent, contrarium ut haereticum reprobantes, dogma Catholicum est.

Prob. I. Scripturis. Sic enim Dei consilium in Ecclesia sua instituenda, ac regenda exponitur ab Apostolo: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei, et*

agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi; ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Ephes. IV. 11. et seqq. Ut ergo unam fidem discerent homines, eamque puram illibatamque conservarent, non Apostolos tantum, et Prophetas, et Evangelistas dedit Deus; sed etiam Pastores et Doctores, quos Ecclesia Patrum nomine intelligit. Itaque quidquid universi Patres vel Dei doctrinam explicantes, vel haereticorum nequitiam, et astutiam revincentes tradunt, ab Apostolorum, et Prophetarum, et Evangelistarum praedicatione, et scriptis ne tantulum quidem recedit, immo adeo cum illis concordat, ut omnes simul fidei unitatem teneamus, et non circumferamur omni vento doctrinae.

Prob. II. Ecclesiae consuetudine. Ita enim constantissime se gessit Catholica Ecclesia, ut Patrum concordi sententia sacras litteras divinasque traditiones omni tempore integras servaverit, recte intellexerit, atque ab hae-

reticorum fraudibus vindicaverit. Sic enim de Ephesina Synodo testatur Lirinensis: *Divinitus placuit* (dicto Concilio) *nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata, sibique in Christo consentiens Sanctorum Patrum tenuisset antiquitas.......Necesse est profecto omnibus Catholicis, qui sese Ecclesiae matris legitimos filios probare student, ut sanctae sanctorum Patrum fidei adglutinentur, immoriantur, profanas profanorum novitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur.* In fine Cap. 2. Commonitorii. Idem professi sunt Chalcedonensis Concilii Patres: *Haec Patrum fides: haec Apostolorum fides: omnes ita credimus: orthodoxi ita credunt: anathema ei qui ita non credit...... haec vera fides: catholici ita sapimus; haec Patrum fides.* Act. II. Labb. T. IV. pag. 568. Paris 1671. Similiter Act. XII. Item Constantinopolitanum IV. Concilium: *Per aequam et regiam divinae iustitiae viam sine erroris offensa incedere volentes, veluti quasdam lampadas semper lucentes et illuminantes gressus no-*

stros......Sanctorum Patrum definitiones et sensus retinere debemus. Act. X. Can. I. Labb. T. VIII. pag. 1126. Denique, ne longius excurramus, praescribit Tridentinum: *ut nemo prudentiae suae innixus in rebus fidei, et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.* Sess. IV. Decret. de Edit. et usu Sacr. librorum.

Prob. III. rat. Theolog. Nam primo, si Sacrarum Scripturarum interpretatio uniuscuiusque ingenio relinquatur, nihil certe quidem in ipsis firmum remanebit; interpretatio enim tam varia evadet, quam varia est ingeniorum ratio ac libertas, immo levitas, et libido: quare vacillabit, ac prorsus corruet fides, quanta quanta est. Enimvero, apposite Lirinensis, *Quoniam Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu omnes accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque*

alius interpretatur, ut pene quot homines, tot illinc sententiae erui posse videantur; aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit....multum (1) *necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticae et Apostolicae interpretationis linea secundum Ecclesiastici et Catholici sensus normam dirigatur.* Commonitor. Cap. II.

Deinde quisquis unanimem Sanctorum Patrum sensum in sacris Scripturis intelligendis, et fidei doctrina addiscenda reiicit, Catholicae Ecclesiae sensum in talibus materiis reiiciat necesse est; sanctorum enim Patrum sensus est Christi discipulorum quoque sensus, ab illis enim hi divinam doctrinam tamquam a Pastoribus oves acceperunt; sanctorum vero Patrum, et Christi discipulorum sensus, est sensus totius Ecclesiae:

---

(1) Haec verba iterum, atque iterum animadvertant Pseudo-Reformati, ut *privatum Spiritum* in sacrarum Scripturarum intelligentia iactare tandem aliquando desinant.

★

ideoque qui universale Patrum testimonium in dogmaticis negotiis reiicit, schismatici, et fidem negantis notam effugere nequit.

Objecta Diluuntur.

Obiic. I. cum Dallaeo. Ex Patrum auctoritate nullum certum, ac firmum argumentum in fidei controversiis peti potest duabus potissimum rationibus. Primum enim pauca admodum Patrum Opera ad nostram usque aetatem pervenerunt, praesertim si de tribus prioribus Ecclesiae saeculis loquamur. Atqui horum maxima est auctoritas, quum ipsorum aetate Religionis doctrina magis pura, atque integra, quam saeculis posterioribus, inveniatur. Deinde quae supersunt vetustiorum Patrum scripta, in Christi Religione ab hostium calumniis vindicanda, eiusque veritate qua Iudaeis, qua Gentilibus demonstranda, ac demum in fidei confessione, et ad mortem usque constantia Christi discipulis persuadenda, versantur. Quamobrem doctrinis saeculis posterioribus controversas vix, aut ne vix quidem attingunt; ideoque de *Transub-*

stantiatione, Confessione auriculari, Imaginum cultu, Romani Pontificis Primatu, aliisque eiusmodi, nunquam tractant.

Resp. Quamquam pleraque antiquiorum Patrum Opera vel temporum iniuria, vel hominum negligentia, vel hostium malitia perierint, ad nostram tamen usque aetatem tot eorum scripta pervenerunt, quot ad eorum fidem perspiciendam sint satis. Quis enim neget Ignatii, Clementis Romani, Iustini, Irenaei, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis, Cypriani opera sine ulla dubitatione germana atque sincera ante oculos, et ad manus nostras quoties velimus esse, atque per ea temporum illorum fidem cognitam perspectamque nos habere? Quod vero asserit Dallaeus, Patrum nempe vetustiorum doctrinam magis, quam recentiorum, puram esse atque integram, falsum omnino est. Non enim ea est Ecclesiae Christi, quae humanarum Societatum conditio; in his enim leges, atque statutae regulae, quo magis ab antiqua origine, eo magis ab antiqua sinceritate, ac firmitate recedunt: at in illa non ita se res habet;

una enim, ac perpetuo eadem est fidei doctrina, divina virtute tradita, ac conservata, nihilque damni a saeculorum, humanarumque rerum vicissitudinibus contrahit, *cui nemo praescribere potest, non spatia locorum, non intervalla temporum, non patrocinia personarum.* Nec fieri unquam potuit, ut in Ecclesia Christi nova quaelibet doctrina universali doctrinae adversa dominaretur, quum potius contra novas doctrinas tota semper commota sit, et pugnaverit Ecclesia, ut Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Pelagii, aliorumque nova dogmata fingentium historia aperte contestatur. *Mos enim iste semper*, ad rem Lirinensis, *in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo prompti us novellis adinventionibus contrairet*, Commonit. IX.

Falsum denique est ex vetustiorum Patrum Operibus plerumque ἀπολογητικοῖς nullum argumentum ad posteriores fidei controversias dirimendas peti posse. Etsi enim controversiae ipsae utpote post illorum aetatem natae, Operum ab eis conscriptorum scopus non fuerint; fidei tamen doctrinas ab haereticis

postea in controversiam vocatas satis superque exposuerunt, quum Ecclesiae fidem a Gentilium calumniis defenderent.

Obiic. II. Operum, quae Patrum nomine circumferuntur, multa Patribus *supposita* sunt; et inter *genuina* vix ullum reperies, quod interpolatum non fuerit. Ergo nihil certi ex illis erui potest.

Resp. Argumenta ad revelatas doctrinas comprobandas non ex *suppositis* operibus, sed ex *genuinis*, quae sanae Critices regulis optime discernuntur, deducimus. Idem dicendum de iis, quae in Patrum scriptis interpolata fuerunt; haec enim pauca sunt, et non gravioris momenti; quae quidem, veteribus manuscriptis consultis, et accuratissimis editionibus exploratis, facillime corriguntur, et emendantur. Ceterum eiusmodi incommodis omnia prorsus veterum Scriptorum opera subiecta fuisse nullus ignorat. Quid ergo? nihil ne certi ex Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aliorumque scriptis derivare possumus? Insanit ergo Dallaeus, cum plus nimio tales difficultates in Patrum operibus exaggerat.

Obiic. III. Nonnullae opiniones communi Patrum sensui contrariae, ut probabiles nihilominus a quibusdam defenduntur. Ergo Patrum consensus firmissimum argumentum non suppeditat.

Resp. Eiusmodi opiniones circa materiam versantur, quae nunquam ab Ecclesia definita fuit; ideoque etsi communi Patrum sensui adversentur, a nonnullis probabiles existimantur. Tales sunt e. g. opinio Augustini de rerum omnium creatione unius diei spatio perfecta; eiusdem Augustini, aliorumque Patrum opinio de Moyse, et Paulo Deum *facie ad faciem* in praesenti vita videntibus: quae quidem opiniones, quamvis singulares, non secus ac oppositae, quamvis communes, fidei materiam non adtingunt; quapropter salva fide ex utraque parte defendi possunt.

APPENDIX CAPITIS II.

De locis Theologicis improprie dictis.

Theologiam Scholasticam, Rationem, Philosophiam, Historiam, locos Theologicos improprie appellari diximus, quatenus ex eis fidei veritates non derivantur, sed per eas potius ad argumenta, quae in locis Theologicis proprie dictis sedem habent, eruenda, et magis magisque explicanda, nec non Adversariorum obiecta diluenda adiutorium praestetur. Pauca de his disseremus.

SECTIO I.

De Theologia Scholastica.

§. I. Scholastica Theologia appellatur, quae universam fidei doctrinam ex Dei verbo tum scripto, tum ore tradito, secundum Sanctorum Patrum, Conciliorum, summorumque Pontificum testimonia, ac interpretationes collectam in varios Tractatus dividit, et certo quodam ordine facilique methodo

disponit, ac demum vario argumentorum genere confirmat, atque ab haereticorum sophismatibus defendit. Ex qua definitione, vel descriptione potius, patet Scholasticos Theologos a Patribus non differre dialecticae ratione, siquidem dialectica nonnunquam usi sunt quoque Patres; Magister vero Sententiarum, qui Scholasticae Theologiae parens dicitur, strictiori ratiocinandi methodo nunquam utitur: ne styli quidem parum ornati ratione a Patribus proprie distinguuntur Scholastici, ex his enim nonnulli elegantiori dicendi ratione utuntur, ut Melchior Canus, aliique. Sed illud inter Patres, qui certe Theologorum principes extiterunt, et Scholasticos Theologos discrimen intercedere videtur, quod Patres modo unam, modo alteram fidei doctrinam, prout tempus, spatium, occasio, necessitas dabatur, soluto ac libero dicendi genere pertractaverint; Scholastici autem Theologi sacrae doctrinae partes omnes determinata methodo, et obstricto stylo percurrant.

§. II. Scholasticae Theologiae specimen exhibuit primus inter Graecos. S. Ioannes

Damascenus VIII. saeculo in *Parallelorum* tribus libris, ubi Sacrarum Scripturarum, Patrumque testimonia contexens, Theologicas veritates percenset; et in *Orthodoxae fidei* quatuor libris, quorum primus *De Deo*, *divina essentia*, *et divinis attributis*, alter *De Creatione mundi*, *et Praedestinatione*, tertius, et quartus *de SS. Trinitatis et Incarnationis Mysteriis* tractant: inter Latinos vero S. Anselmus circa XI. saeculi finem, cuius Opera ita a Gerberonio Congregationis S. Mauri disposita repeiiuntur, ut qui ea perlegat, ordinatum Theologiae curriculum conficiat. At Theologiae Scholasticae veluti parens habetur Petrus Lombardus, Magister Sententiarum appellatus, quod ex Patribus, Hilario praesertim, Ambrosio, Hieronymo, Augustino sententias collegit ad quaestiones definiendas, quae inter Scholasticos ex Aristotelicae Philosophiae principiis tractabantur. In quatuor libros dividitur eius Theologia, ac singuli libri in plures distinctiones: in primo libro de Deo; in altero de Creatione, ac de Angelorum hominisque lapsu, nec non de gratia ac libero arbitrio;

in tertio de Incarnatione, virtutibus, ac divinis praeceptis; in quarto de Sacramentis, ac de altera vita pertractat. Hanc vero divisionem super illa S. Augustini doctrina, veluti fundamento, extruxit: *Omnis doctrina vel rerum est, vel signorum ..... Res aliae sunt, quibus fruendum est; aliae, quibus utendum est; aliae, quae fruuntur, et utuntur ..... Res, quibus fruendum est, sunt Pater, Filius, et Spiritus Sanctus ..... Res autem, quibus utendum est, Mundus est, et in eo creata ..... Res vero, quae fruuntur et utuntur, nos sumus, quasi inter utrasque constituti.* De Doctr. Christiana cap.II. et seqq.

§. III. Porro tres dici possunt Theologiae Scholasticae aetates. Prima ab Abaëlardo qui anno 1142 obiit, initium sumit, et ad Albertum Magnum usque, S. Thomae Magistrum, anno 1280 vita functum perdurat; cuius aetatis celebriores Theologi recensentur post Petrum Lombardum Robertus Pullus, Hugo de S. Victore, S. Raymundus de Pennafort, Guilielmus Parisiensis. Secunda vero aetas ab Alberto Magno

ad Durandum percurrit anno 1313 mortuum; in qua Albertus Magnus Ordinis Praedicatorum, et Alexander Halensis Ordinis Minorum primo, deinde S. Thomas, et Scotus duas Theologorum Scholas celebratissimas veluti duces rexerunt. Tertia demum a Durando incipit, et in Gabrielem Biel anno 1495 mortuum desinit; qua aetate ob Latinorum cum Graecis contentiones, ac Wicclefitarum, Hussitarumque errores irrepentes, subtili ac spinoso disputandi genere rejecto, Scriptura, ac Traditione enucleabantur Theologicae doctrinae. Atque eandem methodum adhibuerunt posteriores Theologi contra Lutheri, et Calvini impia dogmata disserentes, quorum agmen ducit praestantissimus Bellarminus.

§. IV. Inter omnes autem Scholasticos Theologos principem locum iure meritoque obtinuit S. Thomas, *apud quem*, ut animadvertit Melchior Canus, *mirabilis est contextus rerum, summus quaestionum et articulorum ordo, et compositio disciplinae incredibilis. Adeo respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus. Nam*

de argumentorum copia quid attinet dicere? cum de infinitis prope quaestionibus in utramque partem disserendi tanta illi facilitas et abundantia fuerit, ut non contra omnia semper, sicut Archesilas, disputarit; et tamen, ut in omnibus rebus quicquid ex utraqne parte dici posset, expresserit. De Loc. Theologic. Lib. XII. Cap. III. Atque alibi, ut optimi disputandi generis exemplar S. Thomam (post S. Augustinum, quem ille, ut Magistrum, in omnibus sequi studuit) Theologis proponit idem Canus. *Quum vero,* inquit, *in omnium artium usu optimorum imitatio artificum valeat plurimum, exempla in Theologia disserendi ab his peti aequum est, qui in hac arte excelluerunt: quorum Augustinus, et Thomas sunt facile principes: Augustinus citra aleam, Thomas iudicio peritorum. Neque enim in ancipiti solum disputatione, in qua de universo genere utrinque disserere copiose licet, sed in omni omnino quaestione adeo hinc inde uber ac dives est, ut mirandum sit, in rebus tam multis et variis, iisque saepe neque pervulgatis, neque tritis, egre-*

gia in utramque partem argumenta prompta illi parataque fuisse. In multos articulos, fateor, concidit omnia, et articulo fere cuique praescripsit, velut lege quadam, argumentationum numerum. Aridum quoque illi fuit disputandi genus, et quaestionum tractatus una perpetuo specie compositus. In ea denique fuit auctorum secta, quae adeo nullum florem orationis sequitur, ut apparentibus sine carne nervis deforme videatur disputationis corpus, certe ab omni eloquentiae ornatu alienum. Ita a doctissimo et gravissimo viro curiosi quidem homines, et delicatuli longioris operis satietate, fastidio similitudinis, incultaeque dictionis horrore abalienantur. . . . . Nemo vero a viro gravissimo orationis delicias quaerat, pigmenta muliebria, fucum puerilem, sed veras gravesque sententias, argumenta solida, et propria, sermonem rei, de qua disseritur, accommodatum. Quae omnia D. Thomas adeo egregie praestitit, ut si vitia in eo pauca sunt, quae ab istis invidiose commemorantur, plurimis tamen maximisque

virtutibus illa compenset. Quamquam, ut erat et modestus, et prudens, minutissimorum articulorum numerum, legemque disputationis aequabilem tum rudioribus, tum magis suo illi saeculo dedit. Equidem non Divum Thomam modo, sed scholae auctores quosdam alios existimo, si humaniores literas coluissent, et quae in schola didicerant, eloqui voluissent, ornatissime splendidissimeque potuisse facere; et viros eloquentiae studiosos, si ab scholae instituto non abhorruissent, sed Theologiam hanc didicissent, et tractare voluissent, gravissime, et copiosissime dicere potuisse: sed aut utrique suo studio delectati alteros contempserunt, aut nihil omni ex parte beatum, ut semper aliquid desideremus. Verum si alterum sit optandum, malim quidem indisertam scientiam, quam inscitiam loquacem. De Loc. Theolog. Lib. XII. cap. XI.

§. V. Omnium denique Theologorum unanimis consensus, in iis quae fidem spectant, firmissimum praebet argumentum; in talibus enim doctrinis non propriae men-

tis cogitata, sed Ecclesiae Catholicae fidem exponunt, ac illustrant Theologi. Quamobrem *concordem omnium Theologorum scholae de fide, aut moribus sententiam contradicere, si haeresis non est, at haeresi proximum est*, ut sentit Canus, Lib. VIII. cap. V. Concl. 3. Item, quod maxima Theologorum pars sentit, contradicere, temerarium vocat idem Canus, ibid. Concl. 2. Si enim cuiusvis scientiae, vel artis peritos contemnere nonnisi audaciam omnes arbitrantur, idem certe dicendum de Theologorum contemptu; immo eo magis, quod scientiam suam non ex alio fonte, quam ex Sacra Scriptura, et Traditione divina derivare laborent Theologi. Utilissimam insuper esse Theologorum operam nullus dubitabit, qui animadvertat per Theologos ex Sacris Litteris, Patrum Operibus, Conciliorum summorumque Pontificum Decretis quidquid ad fidei dogmata vel cognoscenda vel comprobanda pertinet, breviter strictimque colligi, atque distincte, et ordinate distribui; ideoque facilem praestari viam ad fidem confirmandam, et haereses refutandas. *Est*

in Ecclesia, ad rem S. Augustinus, *quaedam sapientia, qua fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Qua quidem scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quae non nisi aeterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur.* Lib. XIV. de Trinitate.

§. VI. Quamobrem ne Theologorum quidem nomen iis tribuendum, qui ab hoc scopo aberrantes alia prorsus incedunt via; de quibus Melchiorem Canum audire satis erit. *Intelligo*, inquit, *fuisse in Schola quosdam Theologos adscriptitios, qui universas quaestiones Theologicas frivolis argumentis absolverint, et vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in Theologiam Commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum*

mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihilque ex gravi Philosophia quidem, sed fere puerilibus disciplinis; Scholastici tamen, si superis placet, Theologi vocantur: nec Scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum faeces in Scholam inferentes, et ad risum viros doctos incitant, et delicatiores ad contemptum. De Loc. Theolog. Lib. VIII. cap. I.

SECTIO II.

De ratione, et Philosophia.

§. I. Rationem, et Philosophiam simul coniungimus, nihil enim aliud agit Philosophia, nisi quod rationem exercet, et excolit. Utramque nimirum simul coniunxit S. Thomas, ubi de ipsis, quatenus Theologiae inserviunt, ita disserit: *Utitur sacra doctrina etiam ratione humana: non quidem ad probandum fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei), sed ad manifestandum aliqua alia, quae traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam,*

sed perficiat, oportet, quod naturalis ratio subserviat fidei: sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur caritati. Unde et Apostolus dicit (*II. ad Corint. X.*) « In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ». *Et inde est, quod etiam auctoritatibus philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt, sicut Paulus* (*Act. XVII.*) *inducit verbum Arati, dicens* » Sicut et quidam poëtarum vestrorum dixerunt, *Genus Dei sumus* ». *Sed tamen sacra doctrina huiusmodi auctoritatibus utitur quasi extraneis argumentis, et probabilibus.* I. part. Q. I art. VIII. ad 2.

§. II. Philosophiae vero in rebus Theologicis utilitates paucis complexus est Pallavicinus, qui de ea sic scribit: *Philosophiae lumen triplici de caussa maxime Theologiae servit. Primo quia aliarum sectarum errores impugnat, qui per ipsum revincuntur. Deinde quia sophismata diluit Christianae fidei obiecta, quasi absurda Mysteria complectenti. Tertio, quia aliarum*

cognitionum opulentiam comparat, quae tamquam consecutiones deducuntur, et ex fidei dogmatibus, et ex naturae notionibus simul coniunctis. Hist. concil. Trident. Lib. VII. cap. XIV.

Sectio III.

De Historia.

§. I Historiae nomine heic non illam rerum narrationem, quae in Sacrarum Scripturarum libris invenitur, ac divina historia appellatur, intelligimus; siquidem ea *revelationis* pars est, atque ad locos Theologicos proprie dictos pertinet: sed illam, quae nulla divina *inspiratione* conscripta est, ac humana nominatur. Huiusmodi historia vel Ecclesiastica est, quae nempe rerum in Ecclesia gestarum descriptionem continet, vel profana, quae civilium rerum seriem comprehendit.

§. II. Utraque autem Historia, Ecclesiastica praesertim, non modo utilis, sed quodammodo necessaria Theologo est. Ex ea

enim varios, et vanos haereticorum conatus, ut sanam Christi doctrinam corrumperent, et firmissimam immutabilemque Catholicae Ecclesiae regulam in conatibus ipsis evertendis perdiscit; ex ea Imperatorum Romanorum in Christi discipulos saevissimas persecutiones, ac Christi Religionem inter tot persecutionum furores magis, magisque crescentem cognoscit; ex ea Synodorum celebrationem, earumque definitiones in fidei, morumque doctrina semper stabiles, in disciplina vero temporum locorumque adjunctis aptas intelligit; ex ea Patrum, ac operum ab ipsis conscriptorum diversis Ecclesiae saeculis cognitionem haurit; ex ea demum variam pro temporum varietate Theologiae pertractandae methodum, ac semper eamdem fidei doctrinam inter diversas Theologorum methodos, ac opiniones percipit.

CAPUT IV.

Ex Catholica doctrina iam proposita, ac demonstrata Corollaria deducuntur.

Quae ex praedicta doctrina defluant Corollaria pro more adtingimus.

Corollarium I.

§. I. Ex Sacrae Scripturae definitione consequitur non modo *originales Textus*, sed illas quoque versiones, quas Ecclesia adprobavit, pro *authenticis* habendas. Ac primum, ut quid vox haec *authenticum* sibi velit explicemus, animadvertendum a iurisperitis ipsam mutuatos esse Theologos; ideoque *authenticum* appellant utrique *Scriptum aliquod, quod ex se fidem facit in iudicio, et supremae est auctoritatis, ut a nullo reiici, vel in quaestionem vocari debeat.* (ex Iuliano I. C. in Tract. de fide Instrum.).

§. II. Deinde *authenticum* esse Sacrae

Scripturae *originalèm textum* (1) ex iis constat, quae in priori Tomo pag. 84. et

(1) *Originalis textus*, ut omnes norunt, liber ille dicitur, qui in eadem lingua legitur, in qua ab eius auctore conscriptus fuit. Quamobrem duplex dicitur Sacrarum Scripturarum *originalis textus*, Hebraicus scilicet veteris Testamenti, et Graecus Novi, quum ex maiori parte Hebraica lingua illud scriptum fuerit, hoc vero Graeca. Ex maiori inquam parte. Chaldaea namque lingua, ab Hebraeis Babylone captivis in usum recepta, conscripti sunt Tobias, Iudith, Esdras, et ex parte Liber Esther, ac Danielis; Syriaca autem lingua, Iudaeis Babylone in Syriam redeuntibus familiari, fortasse scripti sunt Ecclesiasticus, et primus Machabaeorum, quos S. Hieronymus Hebraice se legisse testatur, Hebraicam appellans Syriacam linguam, qua tunc temporis Hebraei utebantur: at eos Graece fuisse scriptos opinantur alii. Graece quoque quibusdam scripti videntur, II. Machabaeorum, et Sapientia. Syriaca lingua compositum fuisse Matthaei Evangelium, et S. Pauli Epistolam ad Hebraeos ex communiori sententia censendum; Marci Evangelium, et S. Pauli epistolam ad Romanos, utpote propter Latinos scripta, Latine conscripta fuisse quidam levibus fortasse rationibus arbitrantur.

seqq. de Sacrorum librorum γνησιοτητι, et integritate demonstravimus. Si enim *originalis textus* incorruptus extat, talis scilicet, qualis a Spiritu Sancto iis, qui eum scripserunt, dictatus fuit, quis unquam ipsum omnino *authenticum* esse dubitabit? Nimirum adeo *authenticus* quovis tempore habitus est in Ecclesia Scripturarum *originalis textus*, ut eius lectione quaelibet quaestio ex Versionum varietate exorta decerneretur. *Sicut in Novo Testamento*, ad rem S. Hieronymus, *si quando apud Latinos quaestio exoritur, et est inter Exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Graeci sermonis, quo Novum scriptum est Instrumentum: ita in Veteri Testamento, si quando inter Graecos, Latinosque diversitas est, ad Hebraicam confugimus veritatem: ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quaeramus in rivulis.* Epist. ad Sunniam, et Fretelam. pag. 637. T. I. Edit. Vallars. S. Hieronymo concinit S. Augustinus: *Recte fieri nullo modo dubitaverim, ut quum diversum aliquid in utriusque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum*

gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguae potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio. De Civ. Dei Lib. XV. cap. XIII. n. 3. Utrique S. Ambrosius: *Si quis de Latinorum Codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsaverunt, Graecos inspiciat Codices.* Lib. II. de Spiritu Sancto cap. VI. col. 380. Paris. 1549.

§. III. Quod ad versiones (1) attinet, *au-*

---

(1) Vetustiorum Saerae Scripturae versionum praecipuae sunt *Samaritana*, quae pluribus ante Christum saeculis facta videtur; *Syriaca* veteris et Novi Testamenti paulo post Apostolorum tempora secundum Orientalium traditionem edita, quae in Orientalibns Ecclesiis legitur; *Aethiopica*, de qua S. Ioannes Chrysostomus Homil. I. in Ioannem; *Armenica*, de qua Theodoretus Lib. V. *de curandis Graecorum affectionibus*, qui *Perficam* quoque nominat, a recentioribus Perficis versionibus diversam, cuius vix aliquid superest; *Coptica*, seu Aegyptiaca circa Nicaeni Concilii tempora, ut coniicit Kircherus, facta; *Gothica* de qua Socrates Lib. IV. cap. XVII. et Sozomenus Lib. II. cap. XXXII.; versiones *Arabicae*, ac praesertim *Ale-*

thentica dicenda est tum Graeca versio (1),

---

xandrina; *Chaldaica paraphrasis*, quae ab Hebraeis *Targum* appellatur, et maximi fit, ex tribus *Targumim*, Onkelos nempe, Ionathan, et Hierosolymitano, quinque saltem saeculis post Christum confecta, ut ostendit Morinus Exercit. Biblic. L. II. Exercit. VIII. At omnium plurimam obtinent in Ecclesia auctoritatem Versio LXX. et Vulgata, de quibus seorsim aliqua delibamus.

(1) Quae de LXX. Interpretum versione sine ulla dubitatione affirmari posse videntur, nonnullis sat implicatis quaestionibus omissis, innuere placet. Duo autem haec sunt. Primum circa Ptolemaei Philadelphi, trecentis circiter ante Christum natum annis, eam versionem fuisse factam; id enim adseverant Iosephus, et Philo, qui quum Iudaei essent, maiorum in re maximi momenti traditionem ignorare nequibant. Alterum talem versionem, iam inde ab ipsius Historiae, quae Aristeae nomine circumfertur, scriptione, maximam obtinuisse auctoritatem; secus enim nec eiusdem Historiae Auctor tantis laudibus versionem eiusmodi prosequutus fuisset, nec Iudaei tanta opera factam fuisse versionem vel nullius, vel minimi momenti sibi persuasissent. Sed de LXX. versionis auctoritate mox paulo fusius loquemur. Illud tamen

quae Septuaginta Interpretum appellatur, tum versio Latina, quae olim Itala dicebatur,

---

non est hic praetereundum, quod de divinae Providentiae consilio in hac versione procuranda animadvertit Eusebius: *Quum felix illud tempus instaret*, inquit, *quo salutaris huius Servatoris nostri doctrinae lux sub Romanis Imperatoribus in cunctos sese homines longe lateque diffunderet; adeoque praecipua quaedam tunc ratio postularet, ut quae de ipso extarent oracula, nec non Hebraeorum illorum vita, ac religiosae disciplinae leges, quos longe Deus ipse carissimos habuisset, cum tot eae saeculorum intervallo patrii sermonis integumentis clausae latuissent, ceteris tandem aliquando Nationibus, quae postmodum in cognitionis Divinae communionem vocandae erant, omnibus paterent: Deus, ille tantorum bonorum auctor, divinae scientiae vi futurum intuitus, singulari egit providentia, ut quae de venturo paullo post humani generis Servatore, eodemque sanctioris erga unum praepotentem Deum Religionis omnibus sub sole Gentibus Doctore futuro, praedicta iam olim essent, ea demum accurata explicatione patefacta, et publicis in Bibliothecis collocata, cunctorum in lucem venirent, immissa hac Ptolomaeo Regi mente divinitus: nimi-*

nunc autem dicitur vetus, et vulgata (1).

---

rum, ut quaedam quasi penus esset, unde illa postmodum in populorum omnium usum, fructumque promerentur. Enimvero quorum aliter nulla nobis unquam a Iudaeis, suorum nobis Oraculorum cognitionem invidentibus, copia fieret, eorum divino consilio provisam interpretationem accepimus, atque ab illis ipsis, qui plurimum apud eos cum prudentia, tum gentilitiarum quoque litterarum scientia praestabant, elaboratam. Praeparat. Evangel. Lib. VIII. cap. I. pag. 349. Paris. 1628. Eadem ratione divinae Providentiae consilium exponunt S. Ioannes Chrysostomus Homil. IV. in Genes. et S. Augustinus Lib. II. de Doctr. Christ. cap. XV.

(1) Vulgata versio maiori ex parte S. Hieronymo tribuenda, siquidem ita testatur ipsemet Doctor maximus: *Vetus Testamentum iuxta Hebraicum transtuli; Novum Graecae fidei reddidi.* De Scriptor. Ecclesiast. Ex quibus verbis satis manifeste consequitur Veteris Testamenti libros ex Hebraeo per S. Hieronymum in Latinum translatos; Novi vero Testamenti antiquam Latinam versionem *Italam* dictam, per S. Hieronymum ipsum Damasi Papae iussu correctam, et emendatam secundum Graecos Codices fuisse. Attamen quod ad Vetus Testamentum adtinet, excipiendus est *Psalmorum* li-

Nimirum authenticam esse LXX. Versionem multa ostendunt. Primum enim ut authenticam trium circiter ante Christum saeculorum spatio legerunt tum privatim, tum publice, in Synagogis scilicet, Iudaei Hellenistae. Deinde eadem, ut authentica, usi sunt Apostoli, et Evangelistae, primaevae Ecclesiae Patres, priora oecumenica Concilia, tota demum Ecclesia. Sic namque, ut aliquot, argumenti huius confirmandi causa, testimonia perstringamus, scribit S. Irenaeus: *Petrus*,

---

ber, quem licet S. Hieronymo ex Hebraeo translatum, haud usurpavit Ecclesia, sed iuxta veterem versionem intactum reliquit; quum enim Psalmos prae ceteris Scripturae libris lectitaret populus, ac pene integros memoria retineret, non sine gravi tumultu mutari potuisset antiquae versionis usus. Ne illos quidem libros vertit S. Hieronymus, quos in Hebraeo haud invenit, scilicet *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*, *Machabaeorum*, *Baruch*, *additiones ad Esther*, *et Danielem*, siquidem tales libri apud Hebraeos non legebantur, ut de *Baruch* affirmat ipsemet Hieronymus: *Librum Baruch*, *qui apud Hebraeos non legitur*, *nec habetur*, *praetermisimus.* Epist. CXIII.

et Ioannes, et Matthaeus, et Paulus, et reliqui deinceps, et horum sectatores, prophetica omnia ita annuntiarunt, quemadmodum Seniorum Interpretatio continet. Lib. III. adv. Haeres. cap. XXV. *Has tantum,* de hac ipsa versione inquit S. Cyrillus Hierosolym., *studiose meditare Scripturas, quas in Ecclesiis confidenter legimus. Multo prudentiores te erant Apostoli, et primi illi Episcopi Ecclesiae Antistites, qui nobis eas tradiderunt.* Catech. IV. n. XXII. De eadem Versione loquitur S. Hieronymus, ubi scribit: *Hoc autem generaliter observandum, quod ubicumque Sancti Apostoli, aut Apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis abutuntur, quae iam fuerant in Gentibus divulgata.* Quaestion. Hebraicar. in Genesim pag.571. T. III. Ed. Vallars. *Quum fuerint et alii Interpretes,* concludit S. Augustinus, *qui ex Hebraea lingua in Graecam sacra illa eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotion, hanc tamen, quae Septuaginta est, tamquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Graeci populi Christiani, quorum pleri-*

que, utrum aliqua sit alia, ignorant. De Civ. Dei Lib. XVIII. cap. XLIII. Illud denique notandum, quod de LXX. Interpretum versionis incorruptione animadvertit S. Hieronymus: *Illud breviter admoneo, ut sciatis aliam esse Editionem, quam Origenes, et Caesariensis Eusebius, omnesque Graeciae tractatores κοινην, id est communem, appellant, atque Vulgatam... aliam LXX. Interpretum, quae et in ἑξαπλοις Codicibus reperitur, et a nobis in Latinum sermonem fideliter versa est, et Hierosolymae, atque in Orientis Ecclesiis decantatur.......* Κοινη *autem ista, hoc est communis editio ipsa est, quae et LXX. Sed hoc interest inter utramque, quod* κοινη *pro locis, et temporibus, et pro voluntate scriptorum veterum corrupta editio est; ea autem, quae habetur in* ἑξαπλοις, *et quam nos vertimus, ipsa est, quae in Eruditorum libris incorrupta, et immaculata LXX. Interpretum Translatio reservatur.* Epist. ad Sunniam et Fretelam. pag. 636, 637. T. I. Ed. Vallars.

§. IV. Vulgatam vero authenticam decla-

ravit Tridentina Synodus his verbis : *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus, quae circumferuntur Sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa Vetus, et Vulgata Editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est; in publicis Lectionibus, Disputationibus, Praedicationibus, et Expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat.* Sess. IV. Decret. de Editione, et usu Sacrorum Librorum. In hanc autem Tridentini declarationem nonnulla animadvertenda sunt. Primo Vulgatam Versionem cum ceteris Latinis versionibus, non cum *Originali textu* Hebraico, et Graeco, vel cum LXX versione comparat, quorum auctoritatem salvam ac integram relinquit, Concilium. Deinde non eo sensu authenticam definit Vulgatam versionem, ut ab omni prorsus mendorum etiam leviorum labe immunem declaret. Illud igitur tantum statuit

Tridentina Synodus, scilicet Vulgatam versionem, quod ad *substantiam*, Dei verbum complecti, nullumque vel in fide, vel in bonis moribus errorem continere, ideoque ex ea, veluti ex Dei verbo, argumenta ad fidem, bonosque mores cognoscendos et confirmandos deduci posse. Quarum animadversionum testes locupletissimos habemus eos ipsos, qui Concilio interfuerunt. *Nihil*, inquit enim Alphonsus Salmeron, *de exemplaribus Graecis, vel Hebraeis agebatur; tantum inter tot editiones latinas, quas nostra saecula parturierant, quaenam ex illis praestaret, sermo erat; liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas Sacras profundius meditantur, fontes Graecos, vel Hebraeos, quatenus opus sit, consulere, quo nostrum vitio librariorum, aut temporum iniuria corruptum emendare valeant..... Licebit itaque nobis, salva Concilii auctoritate, sive Graeci, sive Hebraei exemplaris lectionem variam producere, eamque ut verum Bibliorum textum expendere, et enarrare; nec tantum bonos mores per eam aedificare, verum*

etiam fidei dogmata comprobare, et stabilire, atque adeo ab illis sumere efficax argumentum, tamquam ex textu Scripturae Sacrae. Proleg. 3. Idem contestantur Andreas Vega Lib. XV. de Iustific. cap. IX., Pallavicinus, qui Concilii historiam scripsit, aliique. Merito igitur concludebat Bellarminus: *Alterum Calvini mendacium est, decrevisse Tridentinos Patres minime esse audiendos eos, qui ex fonte ipso purum liquorem praeferunt, et ex certa veritate falsum coarguunt: hoc ideo mendacium voco, quod nihil eiusmodi in Decreto Concilii legatur. Nec enim Patres ullam fontium mentionem fecerunt, sed solum ex tot Latinis versionibus, quae nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam ceteris anteponerent.* De verbo Dei Lib. II. cap. X. Neque immerito ceteris Latinis versionibus Vulgatam praetulit Tridentinum, quippe quae ab ipsis pseudo-Reformatis summis laudibus extollatur. Eam enim ceteris latinis Versionibus praeponendam adfirmavit Beza in Editione Novi Testamenti an. 1559, contrariam Erasmi sententiam redarguens. Con-

sentit Bezae Grotius, qui confitetur *vulgatum interpretem semper se plurimi fecisse, non modo quod nulla dogmata insalubria continet; sed etiam quod multum habet in se eruditionis.....* Utrique concinit Ludovicus de Dieu : *Si vulgatum interpretem, quisquis tandem fuerit, doctum imo doctissimum virum fuisse asseram, non me peccasse iudicavero. Suos habet naevos, fateor; habet et suos barbarismos : sed quin passim eius fidem, iudiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non possum.*

§. V. Iure quoque meritissimo Sacras Scripturas in vulgares linguas translatas passim, et ab omnibus legi, ac in publicis officiis adhiberi, vetuit Ecclesia. In hoc enim interdicto antiquissimum morem a Synagoga, ab Apostolis, eorumque Successoribus servatum retinuit; particularium Ecclesiarum communioni, divinorum officiorum Maiestati, omnium Christi discipu'orum utilitati consuluit.

Corollarium II.

§. I. Ex iis, quibus Sacras Scripturas Dei verbum complecti demonstravimus, multiplicem esse Sacrarum Scripturarum sensum fluit. Quis enim Deum Sapientissimum unica voce plura significare, et non vocibus tantum, sed etiam rebus ipsis per voces significatis res alias indicare posse negabit? Aut quis divini verbi dignitatem, maiestatemque maxime hoc decere dubitabit? Hoc autem ipsum non semel comprobavit in Sacris Scripturis Deus illarum Auctor. Nimirum, ut unum brevitatis studio exemplum praeclarissimum afferamus; quod duos filios habuit Abraham unum de ancilla, alterum de libera posteriorem a priore exagitatum, quadruplici sensu intelligendum innuit Deus ipse per Apostolum Gal. IV. Quae quidem quadruplex expositio quatuor illis sensibus, *litterali* videlicet, *allegorico*, *morali*, *anagogico*, in hoc notissimo disticho memoriae iuvandae causa expressis, viam fecit:

Littera gesta docet; quid credas *Allegoria*;

Moralis quid agas ; quo tendas *Anagogia.*

Et certe quidem , quod duos filios habuerit Abraham , Ismaëlem nempe ex Agar ancilla , Isaacum ex Sara domina *littera* , verba scilicet Sacrae Scripturae satis per se docent ; at αλλο ηγορευον, *aliud significabant* quoque duae Abrahami uxores , duoque filii , vetus scilicet , et novum Testamentum, ac utriusque Testamenti filios , servos prioris; liberos posterioris ; deinde Isaac ab Ismaële exagitatus exemplum *morale* fuit iustis patientiae adhibendae in impiorum vexationibus tolerandis ; Sara demum domina , ac libera coelestem Civitatem significabat a curis omnibus , et molestiis liberam , ad quam ανα *sursum* positam αγομεθα *tendimus.* Tres vero sensus posterius expositi , *allegoricus* nempe , *moralis* , et *anagogicus* uno vocabulo *sensus mysticus* , quasi absconditus , et spiritalis , quasi in spiritu *litterae* , scilicet in re verbis expressa positus , appellantur ; ac *litterali sensui* , qui dicitur etiam *historicus* , opponuntur.

§. II. Tria autem hic notanda sunt. Primum, quod *sensus litteralis* esse potest vel *pro-*

prius et naturalis, ut quum dicitur: *Verbum erat Deus;* vel *improprius* et *metaphoricus*, ut quum *petra*, *lapis angularis* Christus appellatur. Alterum, quod non raro *litteralis sensus* ipsemet *allegoricus*, vel *moralis*, vel *anagogicus* est, ita ut *littera* ipsa *allegoriam*, vel *mores*, vel *anagogiam* per se exhibeat; ut subiecta exempla ostendunt. Unum namque, ac idem sunt *litteralis*, et *allegoricus* sensus in his verbis: *Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. .... Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Psalm. XXI.; *litteralis*, et *moralis* in his: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo..... Diliges proximum tuum sicut te ipsum; litteralis et anagogicus* in his: *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis.* Heb. XII: 22. 23. Tertium, quod eadem Scripturae verba plures litterales sensus habere possint, uti docet San-

ctus Augustinus scribens: *Quid in divinis eloquiis largius, et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina contestantia faciant approbari?* De Doctr. Christ. Lib. III. Cap. XXVII. Et post eum Sanctus Thomas, qui scribit: *Quia vero sensus litteralis est, quem auctor intendit, auctor autem Sacrae Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit: non est inconveniens, ut dicit Augustinus Lib. XII. Confess. si etiam secundum litteralem sensum, in una littera Scripturae plures sint sensus.* part. I. quaest. I. art. X. c. Hoc autem multis Scripturae testimoniis demonstrari potest. Nimirum, ut aliquot eorum exempli causa decerpamus, illud Exodi de Paschali agno dictum: *Os non confringetis ex eo*, XII. 46, de Christo litterali etiam sensu dicit Ioannes, XIX. 36; item illud Psalmi: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te,* de aeterna Christi generatione S. Heb. I, 5. de generatione Christi temporali, ibid. V. 5. de eius resurrectio-

ne, Act. XIII. 33. exponunt litterali sensu inspirati Scriptores.

§. IV. Illud demum maxima diligentia Theologo observandum, ex solo scilicet sensu litterali erui posse argumenta dogmaticis veritatibus demonstrandis idonea. *Nunquam*, opportune S. Hieronymus, *parabolae, et dubia aenigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.* In cap. III. Matth. sensu vero mystico tunc tantum uti potest Theologus in dogmate demonstrando, quum sensus hic vel ab ipso Dei verbo sive scripto, sive tradito suppeditetur, vel ab Ecclesia pro sua auctoritate explicetur. Nam *quis*, ad rem S. Augustinus, *non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Ep. XCIII. ad Vincentium Rogatistam. n. 24.

COROLLARIUM III.

§. I. Ex eodem principio, nempe in Sacris Scripturis Dei verbum contineri, illud

quoque consequitur, non omnia scilicet in Scripturis ita clara, et aperta esse, ut quisque nullo duce, ac interprete per se solum intelligere possit. Contra universalem Scripturarum claritatem, quam obiiciunt Pseudo-Reformati, ut Catholicae Ecclesiae, quam Christus ipse *infallibilem* verbi sui interpretem constituit, auctoritatem evertant, nonnulla diximus pag. 177. et seqq. At hoc ipsum argumentum heic prosequi iuvabit. Ac primum quaedam esse in Scripturis obscura et eiusmodi, ut difficiles explicatus habeant, Scripturae ipsae testantur. Legitur enim de Pauli epistolis a Petro dictum: ***In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.*** Ep. II. cap. ult. vers. 16.

§. II. Deinde praeclarissime confirmant Patres: ***Mare est,*** inquit S. Ambrosius, ***Scriptura Divina habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum aenigmatum*** Ep. XLIV. pag. 602. Paris. 1549. ***Tanta est,*** addit S Augustinus, ***Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie profice-***

rem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Ep. III. Et alibi: *In ipsis Sanctis Scripturis multo nescio plura, quam scio,* Ep. CXIX. Demum concludit mirifice S. Hieronymus, cui tum ob Orientalium linguarum, et consuetudinum peritiam, tum ob singulare, perpetuumque studium in Divinorum Librorum meditatione positum, primas partes in Sacrarum Scripturarum intelligentia nemo negare audebit; quiquem in Epistola ad Paulinum singulos Sacrarum Scripturarum libros percurrens, singulorumque non raras, nec leves difficultates adtingens, huius veritatis plura argumenta suppeditat, quorum aliqua speciminis loco afferemus. *Haec a me perstricta sunt breviter .... ut intelligeres,* inquit, *te in Scripturis Sanctis, sine praevio et monstrante semitam, non posse ingredi..... Sola scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant.* » *Scribimus indocti, doctique poëmata passim* ». *Hanc garrula anus, hanc sophista verbosus,*

hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant. Alii adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris philosophantur. Alii discunt, proh pudor! a feminis quod viros doceant: et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt, n. 4. pag. 272, 273. T. I. Ed. Vallars. *Socraticum illud impletur in nobis: hoc tantum scio, quod nescio.* ibid. n. 8. pag. 278. et alibi: *Etiam quae plana videntur in Scripturis, plena sunt quaestionibus.* Commentar. in Matth. Lib. II. Cap. XV. pag. 113. T. VII. Ed. Vallars. *Singuli sermones, apices, puncta in Divinis Scripturis plena sunt sensibus.* Commentar. in Epist. ad Ephes. Lib. II. Cap. III. pag. 591. T. VII. eiusd. edit.

§. III. Comprobat denique ratio Theologica. Sive enim res, de quibus Sacra Scriptura loquitur, sive sermonem, quo res ipsas exhibet, consideremus: perobscuram fateamur necesse est. Res nimirum altissimae sunt, utpote Deum ipsum, eiusque opera spectantes, ideoque absconditae nimium, et pe-

nitus abstrusae. Sermo vero, praeterquam quod utpote divinus multiplices profundosque sensus continet; innumeris metaphoris, allegoriis, parabolis, proverbiis, vocum varietatibus ac modis Hebraicae et Graecae linguae propriis contexitur. Quare tot viri et ingenio abundantes, et caritate divina repleti, et Orientalium linguarum peritia celebratissimi, post magnum studium, multamque operam ad Sacras Scripturas perlegendas collatam, se longe plura ignorare, quam cognoscere eorum, quae in illis continentur, confessi sunt.

§. IV. Quorum argumentorum vim frustra effugere conantur Adversarii duo illa notissima repetendo, scilicet Scripturam primum piis ac fidelibus hominibus nullo negotio intelligi; alterum in rebus ad aeternam salutem necessariis clarissimam esse Scripturam. Quod enim ad fidem, et pietatem adtinet, pius ac fidelis erat certe quidem David, et tamen lumen a Deo requirebat, ut legem cognosceret: ***Revela***, sic Deum rogabat, *oculos meos*, *et considerabo mirabilia de lege tua..... Da mihi intellectum, et discam mandata tua.* Psalm. CXVIII.

Pii, ac fideles erant Apostoli; attamen Christus *aperuit illis sensum*, graece νοῦν mentem, *ut intelligerent Scripturas*, Luc. XXIV. 45. Pii, ac fideles erant Hieronymus, Augustinus, ac tot alii fide et pietate praestantissimi viri, qui tamen se multo plura nescire, quam scire in Sacris Scripturis ingenue fatentur. Pios ac fideles se iactant Adversarii; nihilo tamen minus Sacram Scripturam explicantes, vel implicantes potius, innumeras, ac secum invicem repugnantes sententias tenent. Quod vero pertinet ad res necessario, salutis obtinendae causa, cognoscendas, quid Lege divina clarius? et tamen David Deum orabat, ut eam intelligeret. Quid magis necessarium ad aeternam salutem acquirendam quam bona opera, et quid bonorum operum necessitate clarius in Scripturis? Adversarii tamen talem necessitatem obstinati negant, et clarissima Sacrae Scripturae testimonia insanis, et execrandis interpretationibus irrident. Ubi enim de bonis operibus sermonem habet Sacra Scriptura, eius verba hac regula esse intelligenda impudentissime statuit Lutherus. *Ubi Scriptura mandat*, ait,

ut fiant bona opera, *sic intelligas*, *quod prohibeat*, *ne facias opera bona*, *quum non sit in tua potestate opera bona facere.* In Psalm. V. Calvinus autem illa Christi verba » *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Math. XIX. 17. ironice, et sensu opposito intelligenda esse praescribit. Hic Sacram Scripturam intelligendi modus profecto non Christi discipulorum, sed impietatis ducum est.

Corollarium IV.

Ex iis, quae de divina Traditione diximus, facile intelliguntur regulae servandae, ut ab humana recte discernatur divina Traditio. Eiusmodi autem sunt.

Regula I » Quum aliquod fide tenendum unanimi consensu proponunt Patres, quod in Sacris Scripturis non reperitur; illud ex divina Traditione oriri existimandum est ».

Regula II. » Quum propositionem aliquam in Sacris Scripturis minime expressam, veluti fidei dogma, definit Oecumenica Synodus, ex divina Traditione haustam fuisse pro certo habendum ».

Regula III. » Quae profitetur universalis Ecclesia, et tamen Sacra Scriptura non docet; ad divinam traditionem nullo negotio referenda sunt ».

Regula IV. » Quidquid observat universalis Ecclesia, tamquam ad fidem, et Religionem pertinens, in Sacrae Scripturae libris neutiquam dictatum, a divina Traditione certissime provenit ».

Praedictarum regularum ratio ea quidem est, quod fides, et quidquid ad fidem pertinet, sive ea spectet, quae credenda sunt, sive ea, quae moribus servanda; non nisi a Dei verbo originem trahere potest; Dei autem verbum est vel scriptum, vel ore traditum: ea igitur, quae in Sacris Scripturis expressa non leguntur, ex divina Traditione certissime hauserunt Patres, Oecumenica Concilia, universalis Ecclesia, quum de fidei rebus verba facerent.

Corollarium V.

Ex iis, quae de Ecclesiae Christi natura, eiusque notis, ac dotibus diximus, Eccle-

siam esse Christi corpus divino eius Spiritu animatum patet; ideoque, ubi omnino quaeritur quis ad Christi Ecclesiam pertineat, probe distinguendum hoc modo. Ad Ecclesiam quidem, si corpus simul, et spiritum complectamur, ii pertinent qui tum fide, spe, et caritate ornantur interius, tum fidei professione, Sacramentorum communione, legitimis Pastoribus, horumque principi summo Pontifici, obedientia exterius consociantur. Qui interiora illa tantum dona possident, ut catechumeni sanctificante gratia praediti, et iniuste excommunicati gravi culpa carentes, ad animam, non vero ad corpus Ecclesiae pertinent; ad corpus vero, non ad animam, qui exterioribus vinculis colligati, sanctificante gratia spoliati inveniuntur; atque, hoc discrimine facto, quorumdam Patrum, qui eosdem homines nunc in Ecclesia esse, nunc in Ecclesia non esse adfirmant, sententiae intelliguntur. At usitato Scripturarum, Patrumque dicendi more, ii in Ecclesia esse praedicantur, qui triplici illo exteriori vinculo inter se consociantur, in Ecclesia vero

non esse, qui uno illorum quolibet dissociantur. Quamobrem manifesti apostatae, haeretici, schismatici, item maiori excommunicatione mulctati, catechumeni ad Ecclesiam non pertinent.

Corollarium VI.

Ecclesiae auctoritatem veram, et iudicialem esse, non consilii tantum, ex iis, quae de Ecclesia disseruimus, apertissime constat. Ipsam enim potestatem suam Ecclesiae concessit Christus, ut evidenter ostendunt illa praesertim verba, quibus Apostolos adloquutus est Christus ipse dicens: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, Ioan. XX. 21. et alibi: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Luc. X. 16. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Matth. XVIII. 17. 18. et seqq. Atque hac ratione discipulorum suorum bono maxime

providit divinus Magister; ubi namque vera, et iudicialis potestas in Ecclesia non inhaereret, nihil firmum, ac stabile esset, et omnia perturbatio, ac magna confusio invaderet.

Corollarium VII.

Quod vero ad Ecclesiae, et Conciliorum oecumenicorum, in quibus Ecclesia universalis docens, ac iudicans cogitur, *infallibilem* auctoritatem adtinet; ea quae *divinam fidem* adtingunt ab iis, quae *facta mere humana*, vel quaestiones philosophicae, aut scholasticae appellantur, omnino distinguenda. In iis enim, quae divinam fidem spectant, seu ad intelligentiam, seu ad mores, seu ad facta vel divino verbo expressa, vel cum divino verbo stabilem consociationem habentia pertineant, universalem Ecclesiam, et oecumenica Concilia *infallibili* auctoritate pollere nullus umquam Catholicus dubitare audebit: at *in factis mere humanis*, et in quaestionibus philosophicis et scholasticis, non eadem est auctoritatis ratio. Ut autem doctrina haec magis explanetur, quae *facta* dicantur

revelata, vel cum *revelatione indissolubilem consociationem habentia*, aperiendum est. Ea scilicet *facta revelata* dicuntur, quae ab *inspiratis* Scriptoribus narrantur, ut e. g. » Abelem a Caino interfectum fuisse; genus humanum diluvio periisse, Noë et eius familia in Arca superstitibus; Christum in Bethlehem natum, in Templo oblatum » etc. *Facta* vero *cum revelatione indissolubilem consociationem habentia* ea censentur, quae etsi in *revelatione* expresse non contineantur, *ad revelatae* tamen *doctrinae sensum* spectant, ut quum hic, vel ille liber Catholicus vel haereticus declaratur, item haec vel illa sententia Catholicae doctrinae conformis, vel contraria definitur; item quum hoc vel illud Concilium oecumenicum fuisse statuitur, ideoque eius in fide et moribus definitiones *infallibiliter* veras esse determinatur. Facta enim huiusmodi definire nihil aliud est, nisi *revelatae doctrinae sensum* explanare, quod *infallibili auctoritate* facit Ecclesia.

Corollarium VIII.

Argumenta quibus Romanum Pontificem universali Ecclesiae a Christo praepositum demonstravimus, atque eumdem *ex Cathedra* docentem *infallibili* auctoritate pollere, ipsum quoque Oecumenico Concilio superiorem esse ostendunt. Quae autem obiiciunt Adversarii argumenta, ex Conciliis vel dubiis, ut Pisanum, vel ex ea parte, qua citantur, illegitimis, ut Constantiense, quod nonnisi in iis, *quae in materia fidei statuta erant, et conciliariter*, adprobatum a Martino V. fuit, eruuntur; vel Pontifices *canonice* non electos spectant. Illud etiam ex demonstrata de Pontificis Romani Primatu propositione recte concluditur, a summo scilicet Pontifice iurisdictionem suam *immediate*, ut ab universali Ecclesiae pastore, accipere Episcopos. *Petrus Beatus*, ad rem S. Optatus Milevitanus .... *et praeferri Apostolis omnibus meruit, et claves Regni caelorum communicandas ceteris solus accepit.* Lib.VII. contra Parmenian. n.3.

Necnon opportune S. Leo: *Si quid cum eo* (Petro) *commune ceteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit.* Serm. III. in Annivers. Assumpt. suae ad Pontific. cap. I.

Corollarium IX.

Quae de Patrum auctoritate, dum fidei dogmata contestantur, diximus, nonnullis regulis, quibus recte ex eorum Operibus fidei doctrinam addiscamus, viam aperiunt. Eiusmodi autem sunt.

Reg. I. » Unius, aut alterius Patris testimonium ad fidei dogma comprobandum satis non est ». Hoc enim inter Patres, et *inspiratos* Scriptores interest maximi momenti discrimen, ut quaevis Sacrae Scripturae sententia erroris omnis sit immunis, utpote Dei verbum; non vero quaelibet singulorum Patrum sententia. *Neque enim*, opportune S. Augustinus, *quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, et laudatorum hominum, veluti Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva hono-*

rificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet..... Talis ego sum in scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meorum. Epist. CXLVIII. n. 15.

Reg. II. » Plurium Patrum testimonium ab aliis Patribus licet paucioribus impugnatum ad fidei dogma confirmandum ne satis quidem est, nisi Ecclesiae accesserit auctoritas. Fidei namque norma est, *ut quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, id teneamus*, Lirinensis Commonitor. n. III. In dubiis vero Ecclesiae est definire, utra partium divinam veritatem melius conservarit.

Reg. III. » Eo probabilior est unius, vel alterius Patris sententia, quo maior est scientiae, ac pietatis fama, quam Pater ille in Ecclesia consequutus est, et accuratior diligentia in re, de qua agitur, pertractanda ». Quod enim ad primum, scientiam et pietatem in Patribus maximi semper fecit Ecclesia, ut de S. Augustino, exempli causa,

scripsit Caelestinus Papa: *Augustinum sanctae recordationis virum, pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis rumor aspersit, quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis praedecessoribus haberetur.* Ep. I. ad Episc. Galliae, Labbaei Tom. I. pag. 1612. Quod vero ad alterum, ubi e. g. de Verbi Divinitate agitur, maior ceteris est S. Athanasii, et S. Hilarii auctoritas: ubi de Incarnatione, S. Cyrilli Alexandrini: ubi de praedestinatione, et gratia, S. Augustini; hi enim talia dogmata adversus haereticos defendentes, maiori diligentia pertractarunt.

CAPUT V.

Theologicarum quaestionum circa Locos Theologicos specimen exhibetur.

Catholica doctrina iam exposita, et comprobata, corollariisque ex ea deductis, praecipuas Theologorum quaestiones pro more adtingimus

§. I. Atque illud in primis, utrum scilicet Theologica dogmata magis certa dici possint, quam principia ab humana ratione evidentissime perspecta, disputant Theologi. Ut vero quaestionis indoles aperte dignoscatur, notandum non quaeri absolute, et simpliciter utrum veritas divina humano ratiocinio infinite praestet; nihil enim id habet quaestionis: sed utrum plena, et universalis evidentia, quacumque via splendescat, sive scilicet divina revelatione, sive humano ratiocinio, eadem sit an diversa, id in quaestione versatur. Plerique praesertim veterum diversam esse adfirmant; eo quod Theologica dogmata Dei, qui veritas ipsa est, testimonio nitantur, atque falsa nunquam esse possint; ratio vero humana falli certe quidem potest. At alii, qui contra opinantur, veram evidentiam unam ac semper eamdem esse aiunt, quodcumque sit, quo fulcitur, testimonium; ac ea quae certissima sunt, undecumque firmitatem suam desumant, paria esse, nec eorum aliud alio firmius dici posse ratiocinantur. Praeterea rationem humanam non minus quam

revelationem a Deo originem suam trahere observant; atque inde in iis quae evidentissimo lumine naturali cognoscuntur, ut sunt e. g. principia haec: *Impossibile est idem simul esse, et non esse: Totum sua parte maius est*, nunquam falli humanam rationem concludunt; secus enim Deus ipse ut est rationis auctor, ita erroris auctor esset. Illud denique animadvertunt, quod Dei infinita sapientia, ac veritas, quae sunt Revelationis fundamentum, eiusdemque Revelationis necessitas, et existentia multiplici evidentissimo ratiocinio demonstrantur. Si ergo plena ac perfecta ratiocinii evidentia non esset, nec Revelationis ipsius evidentia talis esse posset.

§. II. Deinde in eo altera Theologorum quaestio versatur, utrum scilicet Sacra Scriptura quod ad res tantum, an etiam quod ad verba *inspirata* fuerit. Qui primum sentiunt, ut Bellarminus, aliique, duobus argumentis praesertim nituntur: altero, quod Auctor secundi libri Machabaeorum praestat cap. II. 27. et cap. XV. 38, et 39; altero, quod exhibet Sacrorum Scriptorum varius

stylus. At duo haec argumenta non satis probabilem efficere horum sententiam censent Lovanienses Theologi, quorum verba retulimus una cum citatis secundi libri Machabaeorum testimoniis pag. 35. et seqq. Qui vero contra sentiunt, ut Estius, Academia Lovaniensis, et Duacensis cum aliis, his Sacrarum Scripturarum, Patrumque testimoniis praecipue utuntur. *Omnis* enim *Scriptura divinitus inspirata* appellatur. II. Tim. III. 16. et *Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines*, II. Petr. I. 21. *Scriptura* autem dicuntur proprie verba, quae scribuntur, et *loqui* verba proferre, aut scribere significat. At apertius huic sententiae favere videntur Patres. *Quemadmodum in sensibili thesauro*, ait Chrysostomus, *si quis vel parvam acceperit portionem, multas tamen divitias inde sibi parabit; ita et in divinis Scripturis, etiam in parva dictione, sensuum gravitas et immensae inveniuntur divitiae ...... Fons enim Spiritus Sancti huius scaturigo est.* In Cap. II. Genes. Hom. XVI. n. 1. pag. 123. T. IV. Ed. MM. Et alibi: *Vos omnes obsecro, ne sim-*

pliciter ea quae in Scripturis Sacris contenta sunt, transeatis. Nihil enim hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias: quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetae loquuti sunt, ideo utpote a Spiritu scriptae, ingentem in se continent thesaurum..... Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in Sacris Literis, in cuius profundo non sit grandis quisquam thesaurus. In Cap. IV. Genes. Homil. XXI. n. 1. p. 180. T. IV. Hieronymus autem de iis loquens, qui ipsum, quod nonnulla in Scripturarum versionibus emendaverat, incusabant, haec habet: *Responsum habeant, non adeo me hebetis fuisse cordis, et tam crassae rusticitatis.....ut aliquid de Dominicis verbis aut corrigendum putaverim, aut non divinitus inspiratum; sed latinorum Codicum vitiositatem.....ad graecam originem, unde et ipsi translata non denegant, voluisse revocare.* Epist. XXVII. ad Marcellam, pag. 132. T. I. Ed. Vallars. Et alibi: *Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus.* In cap. III. ad Ephes. S. Au-

gustinus similiter: *Quidquid ille* (Christus) *de suis factis, et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis* (Evangelistis) *tamquam suis manibus imperavit. Hic unitatis consortium, et in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini......scribentem conspexerit.* Lib. I. De Consensu Evangelist. cap. XXXV. n. 54. Denique S. Gregorius de Auctore Libri Iob disputans scribit: *Sed quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen Auctor Libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui haec scribenda dictavit; ille scripsit, qui et illius operis inspirator extitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Si magni cuiusdam viri epistolis susceptis legeremus verba, atque quo calamo scripta fuissent quaereremus, ridiculum profecto esset, si non epistolarum et Auctorem scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa*

fuerint, indagare studeremus. Cum ergo rem cognoscimus, eiusque rei Spiritum Sanctum Auctorem tenemus ; quando Scriptorem quaerimus , quid aliud agimus , nisi legentes litteras de calamo perscrutamur? Praefat. Moral. cap. I. (1)

§. III. Porro illud quoque in dubium vocatur , utrum Esdras Sacrae Scripturae libros in Iudaeorum captivitate omnino amissos , ac perditos iterum Deo inspirante conscripserit , an mendosa Exemplaria correctissimorum Exemplarium lectione emendarit. Nonnulli qui priorem sententiam tenent , ipsam illo argumento , quasi fundamento struunt , quod suppeditat liber IV. Esdrae ubi narratur Esdram divino Spiritu afflante quadraginta dierum spatio quinque viris sacros libros dictasse. At fere omnes talem narrationem commentitiam esse multis rationibus rati , oppositam sententiam tuentur. Ni-

(1) Nonnulli mediam inter allatas sententiam tenentes ita putant distinguendum , ut in Mysteriis , prophetiis , legibus et *res* et *verba*; in ceteris vero *res* tantum Deus *inspirasse* dicatur.

mirum multis fabellis citatum librum scatere constat, atque inter eas reiicienda est allata historia; tum quia fieri omnino non potuit, ut omnia Sacrorum Librorum exemplaria perirent, multis non solum Iudaici, sed etiam Israëlitici Regni in vera pietate perseverantibus, Prophetis praesertim, et Prophetarum filiis, ideoque Sacrorum Librorum exemplaria pie, ac caute custodientibus; tum quia Esdram rogarunt Israëlitae reduces, *ut afferret librum legis Moysi, quam praeceperat Deus Israëli*, Esdr. Lib. II. cap. VIII. et *attulit Esdras Sacerdos legem coram multitudine*, ibidem. Probatissima ergo, et communi sententia concludunt, Sacros Libros non denuo dictasse Esdram, sed potius menda, quae incenso Templo, et Iudaeis captivis, in aliquot exemplaria irrepere potuerant, correxisse, diversosque ab antiquis *characteres* adhibuisse. Quod postremum pro certo habet S. Hieronymus: *Certum est*, inquit, *Esdram Scribam, legisque Doctorem post captam Hierosolymam, et instaurationem Templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse, quibus nunc utimur; quum*

ad illud usque tempus iidem Samaritanorum, et Hebraeorum characteres fuerint. Prolog. galeat.

§. IV. Iam vero utrum *infallibile* sit Ecclesiae iudicium in *Sanctorum canonizatione,* non est una et concors Theologorum sententia. In hac quaestione legendus omnino Benedictus XIV; qui in eruditissimo opere *de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione* eam fuse tractat Lib. I. a cap. XLI. ad cap. XLV. Ex quo pauca brevitatis studio excerpemus. Ac primum de Beatificatione sermonem instituens, variis Theologorum sententiis enarratis, antiquiorem a posteriore Beatificationis morem ita distinguit: *Nobis sententiam nostram nunc relaturis, ut de antiquiori ritu primum dicamus, cum quidquid olim ab Episcopis agebatur in cultu decernendo tum pro Martyribus, tum pro Confessoribus Beatificationis metas minime excederet, difficile admodum videtur, tuto asseri posse, totum id ab erroris labe immune aut fuisse, aut semper esse debuisse; tum quia nullum particularis Episcopi iudicium unquam fuit in*

Ecclesia Dei habitum pro infallibili, tum etiam quia nonnullos ex eis hac ipsa in re fuisse deceptos certum est ex historiis. Cap. XLII. n. 6. pag. 141. T. I. Opp. Venet. 1788. *Delato postea beatificandi iure privativo ad sedem Apostolicam, sive ad Romanum Pontificem, reminisci opus est, duplicem ex dictis dari Beatificationis speciem, hoc est formalem, et aequipollentem: tum Beatificationem formalem esse illam, in qua, ratis habitis virtutibus, aut martyrio, nec non signis seu miraculis, Pontifex indulget, ut Dei servus Beatus appelletur, atque in determinato aliquo loco colatur, et ut plurimum quidem cultu Officii ac Missae in eius honorem; Beatificationem autem aequipollentem eam esse, in qua rata habita fama virtutum, aut martyrii, et signorum seu miraculorum, necnon ratis sive cultu immemorabili cum scientia et tolerantia sedis Apostolicae aut Ordinarii, sive cultus introductione, aut continuatione, ex permissione praecedentium Pontificum, Congregationisve sacrorum rituum iuxta modum alibi explicandum, vel ex Patrum, viro-*

rumque Sanctorum scriptis , vel ex communi Ecclesiae consensu ; summus Pontifex sententiam Ordinarii , aut Delegati approbantem praestitum cultum confirmat. Ibid. n. 8. *Ducto itaque a facilioribus initio , idest a Beatificatione aequipollenti , probabile quidem videtur , summi Pontificis iudicium in ea non esse infallibile , nec ad fidem pertinere ; sed et certum est , a nota temeritatis immunem non esse futurum , qui ipsum errasse contenderet in hoc , aut illo casu , et cultum reprobaret , quem Pontifex ipse approbavit.* Ibid. n. 9. *Beatificationis porro formalis iudicium gravius certe est iudicio Beatificationis aequipollentis. Non absolvitur enim , nisi constet ex processibus de virtutibus , aut de martyrio , et de signis seu miraculis , quae sunt substantialia requisita Canonizationis , quin et in summorum Pontificum Apostolicis litteris ea deest clausula ius servans Congregationis sacrorum rituum. Sed, quamvis ex hoc inferri possit, temeritatis, aut gravioris Theologicae censurae nota esse afficiendum, qui auderet asserere Roma-*

num Pontificem in hac, vel illa formali Beatificatione errasse; aut contenderet non esse Beato exhibendum cultum eo in loco, in quo Papa indulget, ut exhiberi queat: concludi tamen certo non potest vel ipsum formalis Beatificationis iudicium esse infallibile, aut ad fidem pertinere. Ibid. n. 10. Deinde ad ea quae *Canonizationem* respiciunt, Capite sequenti, gradum faciens, duo hac in disquisitione distinguenda praemonet: alterum scilicet, an *Canonizationis* iudicium a Romano Pontifice latum errori esse possit obnoxium; alterum vero an hoc idem iudicium ad fidem pertinere sit existimandum. Et quidem tum hoc, tum seq. Capite Theologos ipse recenset bene multos, qui etsi Romanum Pontificem in *Canonizationis* decreto *infallibilem* praedicent, huiusmodi tamen decretum ad fidem minime pertinere contendunt. Quod igitur ad primum illud attinet, utrum nempe Romanus Pontifex absque erroris periculo *Canonizationis* iudicium ferat, ad eam ipse sententiam inclinare videtur, qua id adfirmatur, hisce permotus e Divo Thoma potissimum mutuatis rationum momentis: 1.° *Fieri nequit ut*

a Summo Pontifice universa Ecclesia ad errorem inducatur in his quae ad mores spectant; sed id utique contingeret, seu contingere posset, si posset falli in Canonizatione: Deinde *iudicium illud infallibile est, quod a Spiritu S. dirigitur ne erret; quamobrem cum Summi Pontificis in Canonizatione Sanctorum iudicium a Spiritu Sancto utique dirigatur, de eius infallibilitate non videtur esse dubitandum.* Accedit, quod *cultus Sanctis delatus est quaedam nostrae fidei professio; unde necessario sequitur, quod iudicium Papae cultum praecipiens debeat esse infallibile:* eo nempe sensu Sanctorum cultus est quaedam fidei professio, quem praeseferunt haec Divi Thomae verba ab Auctore nostro relata: *Honor, quem Sanctis exhibemus, quaedam professio Fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus.* Denique *nullus huc usque in tot Sanctorum Canonizationibus per Romanos Pontifices factis error inventus est; ex quo nimirum a posteriori, ut aiunt, deducitur Summorum Pontificum iudicium in Cano-*

nizationibus ex speciali Spiritus Sancti afflatu atque auxilio infallibilitatis praerogativa potiri. Cap. XLIV. n. I. et seqq. pag. 146. 147. Quod attinet autem ad alterum, nempe utrum ad fidem possit pertinere Romani Pontificis in Sanctorum *Canonizatione* iudicium, noster Auctor quum eorum Theologorum qui id negant, quorum S. Thomam antesignanum agnoscit, nec non eorum qui adfirmant, varia expresserit argumenta, sic tandem ipse concludit: *Videtur nobis, utraque opinio in sua probabilitate esse relinquenda, usquequo sedis Apostolicae iudicium prodeat.* Ibid. Lib. I. Cap. XLV. n. 27. pag. 155. T. I. Opp. Venetiis 1788.

§. VI. Quod demum ad quorumdam Theologorum opinionem adtinet, qui dogma fidei opinantur quod ex duabus propositionibus, altera ex *revelationis*, altera ex rationis penu depromta fluit, lege Diatribam in huius Tomi appendice positam.

QUAE SEQUUNTUR TABULAE, CONCILIORUM PRAECIPUORUM BREVEM DESCRIPTIONEM EXHIBENT ; PRIMA NEMPE CONCILIORUM GENERALIUM ; SECUNDA QUASI GENERALIUM ; TERTIA GENERALIUM , PARTIM LEGITIMORUM , PARTIM ILLEGITIMORUM ; QUARTA OMNINO ILLEGITIMORUM.

TABULA

CONCILIA

Locus.	Tempus.
I. NICAENUM, sive habitum in Urbe Nicaea.	Anno Cristi 325 vel 327 Papa Silvestro, Imperatore Constantino Magno.
II. CONSTANTINOPOLITANUM, partim Constantinopoli in Oriente, partim Romae in Occidente celebratum.	Anno 381 circiter, Papa Damaso, Imperatore Theodosio Seniore.
EPHESINUM, seu Ephesi, in Asiae Minoris Metropoli, habitum.	Anno 430 circiter, Papa Caelestino, Imperatore Theodosio Iuniore, et Valentiniano III.

PRIMA.

GENERALIA.

Patres.	Acta.
N.° 318. Praesidentibus Hosio, Vito, et Vincentio Legatis Papae, quorum primus fuit Episcopus, ceteri duo Presbyteri tantum.	Damnata est haeresis Arii, qui Verbi negabat Divinitatem; compositum Symbolum Nicaenum; compressum schisma Meletianum; statuta celebrandi Paschatis dies; definita iura Patriarchalia; et conditi XX. Canones disciplinae.
Catholici 150; Macedoniani, seu Semiariani 36. Nec Papa per se, nec per Legatos praesedit, etsi sua auctoritate indixisset; confirmavit tamen quod ad res fidei.	Damnata est haeresis Macedonii, qui negabat Divinitatem Spiritus Sancti, et confirmata Nicaena Fides.
N.° 200. Praesidente Cyrillo Alexandrino Archiepiscopo, et aliis Papae Legatis, nempe Arcadio, et Proiecto Episcopis, et Philippo Presbytero.	Damnata est haeresis Nestorii, qui duas in Christo personas admittebat, et ideo B. Virginem non Θεοτοκον *Deiparam*, sed Χριστοτοκον *Christiparam* solum dici volebat. Ideo in salutatione Angelica addita sunt haec verba: *Mater Dei ora, etc*

CONCILIA

Locus.	Tempus.
IV. CHALCEDONENSE dictum ab Urbe Chalcedone in Bithynia, ubi celebratum est.	Anno 451 circiter, Papa Leone Magno, Imperatore Martiano.
V. CONSTANTINOPOLITANUM II.	Anno 553 circiter, Papa Vigilio, Imperatore Iustiniano.
VI. CONSTANTINOPOLITANUM III, cuius appendix dicitur Synodus *Trullana*, vel etiam *Quini-Sexta*; quam quaere in Tab. III.	Anno 680 circiter, Papa Agathone, Imperatore Constantino IV.
VII. NICAENUM II.	Anno 787 circiter, Papa Adriano, Imperatore Constantino, et Irene eius Matre.

GENERALIA.

Patres.	Acta.
N.° 600. Praesidentibus Paschasino, et Lucentio Episcopis, et Bonifacio Presbytero Legatis Papae Leonis, qui illud etiam confirmavit; sed solum circa res fidei.	Damnata est haeresis Eutychetis et Dioscori, qui unam tantum Naturam in Christo admittebant. Damnatus denuo Nestorius; rescissa acta *Latrocinii Ephesini*, et recepti, qui ab eo fuerant iniuria damnati.
N.° 165. Iuxta alios vero 255. Papa nec praesedit per se, nec per Legatos, approbavit tamen per Epistolam.	Damnata sunt Origenis Scripta haeresim continentia, necnon Didymi, et Evagrii, tria Capitula Theodori, Theodoreti, et Ibae Episcoporum, non vero illorum personae.
N.° 289 circiter. Praesidentibus Petro, et Georgio vel Gregorio Presbyteris, et Ioanne Diacono, Papae Legatis.	Damnata est haeresis Monothelitarum, qui unam tantum in Christo voluntatem esse dicebant.
N.° 350 vel 367. Praesidentibus Petro Archi-presbytero, et Petro Abbate, Legatis Papae.	Damnata est haeresis Iconoclastarum, Leonis Isaurici, et Constantini Copronymi Imperatorum, qui

CONCILIA

Locus.	Tempus.
VIII. CONSTANTINOPOLITANUM IV. (1).	Anno 869 circiter, Papa Adriano II. Imperatore Basilio.
IX. LATERANENSE I. sic dictum a Palatio Lateranensi Romae, in quo coactum fuit.	Anno 1123 circiter, Papa Callisto II. Imperatore Henrico V.

(1) *Concilium hoc, quod Graeci-Schismatici pro oecumenico non habent, cum alio per Photium congregato, quod ipsi oecumenicum venditant, minime confundendum. Dicta autem octo Concilia ea sunt, in quae iurare solebant Romani Pontifices.*

GENERALIA.

Patres.	Acta.
	sacras Christi, et Sanctorum imagines omni honore spoliabant; rescissaque sunt Synodorum Constantinopoli sub dictis Imperatoribus congregatarum Acta.
N.º 102. Praesidentibus Legatis Pontificis Donato, et Stephano Episcopis, et Marino Diacono.	Photius Patriarcha Constantinopolitanus, per vim intrusus, reiectus est, et restitutus Ignatius. Damnati quadraginta quinque Episcopi, qui Photio adhaerebant, iterumque damnati Iconomachi.
N.º 300. et amplius, Praesidente ipso Papa per se.	De Pace inter Ecclesiam, et Imperium tractatum est. Item de bello contra Saracenos ad recuperandam

CONCILIA

Locus.	Tempus.
X. LATERANENSE II.	Anno 1139. Papa Innocentio II. Imperatore Lothario II. vel Rege Romano Conrado.
XI. LATERANENSE III.	Anno 1179 circiter; Papa Alexandro III. Imperatore Friderico I.
XII. LATERANENSE IV.	Anno 1215. Papa Innocentio III. Imp. Friderico II.

GENERALIA.

Patres.	Acta.
	terram Sanctam; atque illuc poenitentiae causa euntibus plena peccatorum remissio concessa.
N.° Circiter 1000. Praesidente ipso Papa per se.	Contra Antipapas Anacletum, et Victorem. Pro iure Cleri, et reformatione morum.
N.° 300 circiter. Praesidente Papa per se.	Damnati sunt Cathari, quos aliqui vocant Waldenses, et Albigenses haeretici. Multa quoque statuta sunt pro electione Papae, et reformatione morum.
N.° Episcopi plusquam 400. Praelati minores circiter 800. Praesidente Papa per se.	Contra haereses Albigensium; et errores Ioachim; Abbatis, et Almarici Parnotensis, damnata etiam huius memoria. Vox *transubstantiatio* ad explicandum Eucharistiae dogma usurpata fuit. Item de pace inter Christianos, et pro recuperatione Terrae Sanctae tractatum.

Locus.	Tempus.
XIII. LUGDUNENSE I. dictum ab urbe Lugduno in Gallia.	Anno 1245. Papa Innocentio IV. Imp. Friderico II.
XIV. LUGDUNENSE II.	Anno 1274. Papa Gregorio X. Rodulpho Occidentis Imperatore, Orientis vero Michaële Palaeologo.
XV. VIENNENSE dictum ab urbe Vienna in Galliis.	Anno 1311. Papa Clemente V. a quo editae sunt Constitutiones, quae vocantur in Iure Canonico Clementinae. Imperatore Henrico VII. Galliarum Rege Philippo Pulchro.
XVI. FLORENTINUM, Florentiae in Italia habitum, Ferrariae inchoatum.	Anno 1438. inchoatum Ferrariae Papa Eugenio IV. Alberto Occidentis Impe-

GENERALIA.

Patres.	Acta.
Episcopi 140. Praesidente ipso Pontifice per se ipsum.	Excommunicatus et depositus est Imperator Fridericus II. Papae rebellis; et decreta expeditio in Palaestinam.
Fere 1000. ex quibus Episcopi 700. Praesidente iterum ipso Papa.	Damnata haeresis Graecorum, qui dicunt, Spiritum S. non procedere a Filio. Facta quoque unio cum Graecis. Simul actum de recuperanda Palaestina. Tartari per legatos in Ecclesiam recepti.
Circiter 300. Episcopi, praesidente iterum Papa.	Damnatae haereses Beguardorum, Beguinorum, et Fraticellorum. Extinctus ordo Templariorum (sic dictorum quia Hierosolymis habitabant iuxta Templum) ob varia scelera. Actum rursus est de expeditione in Terram Sanctam.
Subscripserunt 141. alii multi prius discesserant. Praesedit ipse Pontifex.	Contra erroros Graecorum, quorum Imperator Ioannes Palaeologus praesens erat.

Locus.	Tempus.
	ratore, Orientis Ioanne Palaeologo.
XVII. LATERANENSE V.	Inchoatum 1512. sub Iulio II. absolutum anno 1517. sub Leone X. Imperatore Maximiliano I.
XVIII. TRIDENTINUM, Tridenti in Germania coeptum, Bononiae continuatum, et Tridenti absolutum.	Inchoatum 1545. Papa Paulo III. continuatum sub Iulio III. Marcello II. et Paulo IV. finitum 1563 sub Pio IV. Imperatore Carolo V, et Ferdinando I.

Patres.	Acta.
	Facta unio Graecorum, et Armenorum cum Latinis; at illi post reditum in Graeciam ad pristinos errores redierunt.
Episcopi 114. Praesidente ipso Papa.	Ad tollendum schisma conflatum per Concilium Pisanum. Decretam in eo expeditionem contra Turcas impedivit seditio Lutheri.
Subscripserunt 255. Multi non potuerunt expectare finem Concilii, quod duravit per 18 annos: praesidentibus Legatis Papae, non tamen semper iisdem.	Damnati Lutherani, et Sacramentarii, aliique Sectarii. Reformati mores, qui erant valde corrupti. In nullo alio Concilio tam multi fidei articuli clare elucidati, et morum disciplina tam sedulo instaurata est, quam in Tridentino.

TABULA

CONCILIA

Locus.	Tempus.
I. ARELATENSE.	An. 314. Sub SILVESTRO Papa, et CONSTANTINO Imperatore.
II. SARDICENSE.	An. 347. Papa IULIO I. Imperatore CONSTANTIO Ariano.
III. FRANCOFORDIENSE, quod vix appellari potest Generale, cum nulli Episcopi Orientales interfuerint.	An. 794. Papa ADRIANO I. CAROLO M. Rege Francorum, tunc nondum Imperatore.

SECUNDA

QUASI GENERALIA.

PATRES.	ACTA.
Circiter 200. ex omni Occidente, praesidente Papa per suos legatos.	Damnati iterum Donatistae; retractata et confirmata Caeciliani innocentia, denuo proscripti Rebaptizantes; canones quoque 22 editi. Omnium post Generalia Concilia celeberrimum, iuxta Sirmondum.
300. circiter Occidentales. 76. Orientales.	Confirmata fides Nicaena; Athanasii, aliorumque Episcoporum innocentia vindicata (etsi Orientales in Philippopolim recedentes contraria his blasphemarint). Tamquam Nicaeni appendix hoc Concilium habitum, proinde tamquam Nicaeni citati sunt canones 21. ab hoc conditi.
300. Legatis Papae praesidentibus.	Definita *Filiatio naturalis* Christi. Damnati Felix, et Elipandus dicentes Christum etiam Filium Dei ado-

Locus.	Tempus.
IV. PISANUM, Pisis in Italia habitum; de quo dubium est, num sit legitimum, an non.	An. 1409. Gregorio XII. et Benedicto XIII. pro Papa se gerentibus.
V. CONSTANTIENSE, Constantiae ad Lacum Bodamicum habitum. Est generale tum ab electione Martini V., qui postremis Sessionibus praefuit, tum circa ea omnia quae ipse Martinus adprobavit: proinde nullatenus idem dicendum de Sessionibus IV., et V.	Inchoatum anno 1414. Papa Ioan. XXIII, Imperat. Sigismundo, finitum 1418. sub Martino V.

Patres.	Acta.
	ptivum. Male intelligentes huius Synodi Patres decretum Synodi Nicaenae II., cultum imaginum visi sunt reprobasse.
Episcopi circiter 280. Minores Praelati 900.	Deposuit Gregorium XII, et Benedictum XIII. et elegit Alexandrum V. Schisma tamen non sustulit, sed auxit.
Episcopi fere 300. Minores Praelati fere 700.	Sublatum est Schisma, et depositis tribus Pontificatum gerentibus electus est Martinus V. damnatus Wicleff, et Hus.

TABULA

PARTIM LEGITIMA,

Locus.	Tempus.
I. SIRMIENSE.	Anno 356. Papa Liberio, Imper. Constantio Ariano.
II. QUINI-SEXTUM, Constantinopoli in Palatii Trullo habitum, unde eius Canones dicuntur *Trullani.*	Anno 692. circiter, Papa Sergio III. Imperat. Iustiniano II. seu iuniore.
III. BASILEENSE, inchoatum Basileae ad Rhenum, et absolutum Lusannae ad Lacum Genevensem.	Inchoatum 1431. Papa Eugenio IV. Finitum 1449 sub Nicolao V.

TERTIA

PARTIM ILLEGITIMA.

Patres.	Acta.
Circiter 300.	Editae sunt duae formulae fidei inter se dissentientes; una Catholica, altera blasphema. Damnata est haeresis Photini, quae damnatio ab Ecclesia recepta est.
211. Papa nec per se, nec per suos Legatos praesedit, illudque statim reprobavit.	Canones 102. adiecti sunt Synodo V. et VI. Generalibus, et ideo appellatur Quini-Sextum (nam Sexta Synodus omnino nullos edidit Canones): ex quibus aliqui tantum postea recepti sunt.
Praesidebat, sed ad tempus tantum, Legatus Pontificis.	Elegit Pseudo-Pontificem Amadeum Ducem Sabaudiae, qui dictus est Felix V. Nihil de suis actis approbatum, nisi quaedam circa Beneficia Ecclesiastica.

TABULA

CONCILIA

Locus.	Tempus.
I. ANTIOCHENUM.	Anno 341. Papa Iulio I. Imperatore Constantio Ariano.
II. MEDIOLANENSE.	Anno 354. Papa Liberio, Imperat. Constantio Ariano.
III. ARIMINENSE.	Anno 359. Papa Liberio et Imper. Constantio.
IV. EPHESINUM II. quod merito vocatum est *Latrocinium*, quia omnia acta sunt per vim.	Anno 449. Papa Leone I. Imper. Theodosio Iuniore.
V. CONSTANTINOPOLITANUM Pseudo-Septimum.	Anno 754. circiter. Papa Stephano II, vel III. Imper. Constantino Copronymo.
VI. CONSTANTINOPOLITANUM.	Anno 861. Papa Nicolao I. Imperatore Michaele, auctore autem Photio.

QUARTA

ILLEGITIMA.

Patres.	Acta.
Circiter 90.	Damnatus est inique Athanasius, et via ad eversionem Concilii Nicaeni I. attentatam patefacta.
Circiter 300.	Oblique damnata est fides Catholica.
Circiter 600.	Sublata est de Symb. vox *Homousios*, hoc est, *Consubstantialis*, partim ex errore Linguae, partim vi Constantii, partim per fraudem Arianorum.
Circiter 128.	Absolutus est Euthyches, et eius haeresis confirmata; Leonis Legati fugati; et S. Flavianus Episc. Constantinop. occisus.
Circiter 330.	Definitum est, Christi, Sanctorumque Imagines omnino abolendas esse.
318.	S. Ignatius Patriarcha Const. eiectus e sua sede, intrusus Photius.

Locus.	Tempus.
VII. CONSTANTINOPOLITANUM Pseudo-octavum.	Anno 879. Papa Ioanne VIII. Imper. Basilio, Auctore Photio.
VIII. PISANUM, ab illo, quod supra Tab. III. recensuimus, sedulo distinguendum.	Anno 1510. circiter. Papa Iulio II. Imperat. Maximiliano I.

ILLEGITIMA.

Patres.	Acta.
380.	Photius post mortem Ignatii restitutus; legitima VIII. Synodus infirmata; interceptae ad sedem Romanam appellationes; inde schismatis diuturni exordium.
Pauci propemodum Episcopi; plerique Doctores, ac procuratores ex Germania et Gallia.	Congregatum est ab Imperatore, et Rege Galliae, et aliquot Cardinalibus contra Iulium II. sed mox reprobatum in Concilio Lateranensi V. sub eodem Iulio II. et Leone X.

Tabula, quae sequitur, praecipuorum ecclesiae patrum, ipsorumque operum praesertim dogmaticorum, compendiariam designationem exhibet.

SANCTORUM EC-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
S. CLEMENS, *Romanus* dictus a patria; Pontifex Maximus post Petrum quartus, primus sui nominis.	Anno Salutis CII., IX. Kal. Decembr. diem supremum obiit.
S. IGNATIUS Martyr, Antiochenus Episcopus; S. Ioannis Evangelistae discipulus.	É vivis sublatus anno Salutis CXI., vel, ut alii malunt, anno CVII., XIII. Kal. Ianuarii.
S. DIONYSIUS, *Areopagita* appellatus eo quod Athenis, priusquam Christi militiae nomen daret, Se-	Vitam cum morte mutavit CXX. Salutis anno, decimum supra centesimum aetatis suae tunc agens.

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
Epistolae ad Corinthios duae: quarum primam et integram habemus, et genuinam iudicant omnes; alterius vero fragmentum superest tantum, quod ipsum, pluribus Auctoribus, ἀπόκρυφον censendum, sicut cetera non pauca huic Patri olim supposita Scripta.	Nonnulla ad *Incarnationem*, nec non ad *Gratiam* pertinentia dogmata.
Septem Epistolae, quarum prima ad Ephesios missa, altera ad Magnesianos, ad Trallianos tertia, quarta ad Romanos, quinta ad Philadelphienses, sexta ad Smyrnenses, ad Polycarpum postrema. Octo item aliae eius nomine circumferuntur Epistolae; at ex iis quinque a pluribus, tres vero ab omnibus omnino reiiciuntur.	Praecipua *Incarnationis*, et *Trinitatis* dogmata.
Pleraque eius nomine circumferuntur scripta: Liber nempe de *Caelesti Hierarchia;* Liber de *Ecclesiastica Hierarchia;* Liber de *Divinis Nomi-*	Dogmata *Trinitatis* praecipua.

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
natoris munere fungeretur; Pauli Apostoli discipulus; natus Athenis, vel ut aliis placet in Thracia; Lutetiae Parisiorum a quibusdam, sed sine ullo valido argumento creditus primus Episcopus.	
S. POLYCARPUS Martyr; Ioannis Apostoli discipulus; Episcopus Smyrnensis.	Obiit anno Salutis CLXIX. vel ut aliis placet CLXVI; aliis etiam aliter sentientibus.

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
nibus; Liber de *Mystica Theologia;* variae insuper ad varios Epistolae. At haec omnia minima γνησια ab omnibus fere putantur iure, ut arbitror, meritissimo; quidquid nonnulli singularium opinionum paulo studiosiores contra dicant (1).	
Epistola ad Philippenses, quae Ignatianis adiungi solet Epistolis.	Praecipua *Incarnationis* Dogmata.

(1) *Adsentior equidem melioris notae* Criticis, *qui Operum Areopagitae suppositorum ignotum aliquem V. Saeculi, reverendum illum quidem, Scriptorem auctorem faciunt. Adisis hac de re Remigium Ceillier, qui totam hanc quaestionem pro more accuratissime prosequitur, et utriusque partis rationes pari sagacitate ac eruditione ad trutinam revocat Tom. XV. Histor. Auctor. Ecclesiasticor. Cap. XXV. pag. 362. et seqq. Paris. 1748.*

SANCTORUM EC-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
S. IUSTINUS, Philosophus inclytus ac Martyr; natus Neapoli in Palaestina.	Mortem subiit Romae anno Chr. CLXV., aetatis suae trigesimo, vel quinquagesimo ut aliis magis adridet.
S. MELITO, *Sardensis* Episcopus; ob Prophetiae spiritum, quo Dominus eum illustravit, *Prophetae* agnomen adeptus.	Floruit exeunte II. saeculo.

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
Oratio *Paraenetica ad Graecos; Apologia pro Christianis* ad Antoninum; item alia ad Senatum Romanum; Liber de *Monarchia Dei; Dialogus cum Tryphone Iudaeo; Aristotelicorum quorumdam Dogmatum eversio.* Haud clare patet, scripserit ipse necne *Expositionem Fidei Catholicae;* Epistolam ad Zenam et Serenum *de vita Christiana; Responsionum* denique Libros duos: quae tamen Opera ipsi etiam a quibusdam tribuuntur.	Christianae Religionis *Veritas*, ac praecipua dogmata ad Tractatum *de Deo* pertinentia.
Perplura scripsit, quae temporis edacitas nobis invidit. Superest ex suis Operibus *Catalogus Librorum veteris Testamenti*, quem videsis apud Eusebium: apud quem extant et frusta quaedam *Apologiae pro Christianis* ad M. Aurelium Imperatorem missae. Cave tribuas tanto Viro Librum *de Transitu Virginis*, qui eius nomine circumfertur.	Scripturarum Canon; Christianae Religionis *Veritas.*

SANCTORUM EC-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
ATHENAGORAS, patria Atheniensis; Philosophus insignis.	Iustini Martyris ac Philosophi ferme aequalis.
S. THEOPHILUS, sextus post B. Petrum Antiochenus Episcopus; primus omnium *Trinitatis* voce, ad res Divinas Personas denotandas, usus.	Elatus circiter post Chr. annum CLXXXV.
S. IRENÆUS, Lugdunensis Episcopus; S. Polycarpi discipulus; ac propterea Smyrnae forsan natus eductusque.	Martyrii lauream adeptus prope nonagenarius; anno Domini nostri CCII. vel CCV. ut alii malunt, IV. Kal. Iul.

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
Apologia pro Christianis, quam M. Aurelio Antonino, et Aurelio Commodo obtulit; Liber *De Resurrectione mortuorum*.	Veritas Christianae Religionis; praecipua ad *Trinitatem*, et ad *Alteram Vitam* pertinentia dogmata.
Praeter non pauca, quae temporum iniuria perierunt, scripsit *Adversus Christianae Religionis Calumniatores ad Autolycum Libros tres.* Sunt qui ipsi tribuant et Commentaria quaedam in quatuor Evangelia, quae tamen longe post eius aetatem conscripta videntur.	Christianae Religionis *Veritas*, nec non *Trinitatis* mysterium.
Adversus Haereses Valentini Libri V; Epistolae ad Florentinum datae, nec non alterius ad Victorem missae, vix quaedam fragmenta supersunt; Epistolis ipsis, una cum aliis pluribus huius Patris Operibus, iniuria temporum absumtis.	Praecipua dogmata ad *Trinitatem*, ad *Sacramenta*, ad *Incarnationem*, atque ad *Locorum Theologicorum*, nec non *Alterius Vitae* Tractatus pertinentia.

SANCTORUM EC-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
MINUTIUS FELIX, natione Afer, ut quidam arbitrantur; conspicuus Romae, Hieronymo teste, Causidicus.	Floruit sub III. saeculi initium.
TITUS FLAVIUS CLEMENS, *Alexandrinus* dictus quia Alexandriae natus, vel quia ibi maxima ex parte vitam degit; sunt namque qui eum Athenis natum ferant; Presbyter; Origenis Praeceptor.	Obiit circa annum Reparationis nostrae CCXX.
Q. SEPTIMIUS TERTULLIANUS; patria Carthaginiensis; Presbyter; sub vitae exitum Montanista factus.	Floruit abeunte II., ac III. ineunte Ecclesiae saeculo; mortuus, ut placet quibusdam circa CCXVI. annum.

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
Dialogum conscripsit, cui titulus *Octavius*, de Christianae Religionis veritate.	*Veritas Christianae Religionis.*
Ex pluribus, quae scripsit, Operibus ad nos usque pervenerunt Oratio *exhortatoria ad Gentes; Paedagogi* Libri tres; *Stromatum* Libri octo; Liber denique, qui inscribitur: *Quisnam dives ille sit, qui salvetur.*	Christianae Religionis *Divinitas*: Complura *Trinitatis* Dogmata, nec non *Theologicorum Locorum*, ac *Incarnationis.*
Apologeticus Liber adversus Gentes; Ad *Nationes* Libri duo eiusdem, ac primus ille, argumenti; *De Testimonio Animae* Liber unus; *Ad Scapulam* Liber unus *de Christianis non vexandis;* De *Spectaculis* Liber item unus; unus Liber de *Idololatria;* unus pariter de *Corona Militis;* unus de *Pallio;* de *Poeniten-*	Christianae Religionis *Veritas*, nec non praecipna ad *Theologicorum Argumentorum sedes*, ad *Incarnationem*, et *Trinitatem* pertinentia dogmata.

SANCTORUM EC-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
S. HIPPOLYTUS, Portuensis Episcopus et Martyr; Clementis Alexandrini discipulus.	Martyrii coronam assequutus est anno Salutis circiter CCXXX., XI. Kal. Septembr.

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
tia; De *Oratione*; *Ad Martyres*; De *Patientia*; De *Habitu Muliebri*; De *Cultu Faeminarum*; De *Velandis Virginibus*; *Adversus Marcionem* Lib. V; *Adversus Praxeam* Liber unus; nec non plura alia Opuscula, quae facile supereminet universa Liber unus de *Praescriptione Haereticorum*, sive adversus Haereticos.	
Quae supersunt ex bene multis eius Scriptis, sunt *Paschalis Canon*; *Oratio de consummatione Mundi et Antichristo, et secundo adventu Domini nostri I. Ch.*; *Excerpta quaedam ex Libris eius de Theologia et Incarnatione*; Liber *contra Beronem et Helicen haereticos*; *Homiliae de Deo Trino et Uno*, *et de Mysterio Incarnationis contra haeresim Noëti*; *Demonstratio adversus Iudaeos.*	*Incarnationis*, *Trinitatis*, *Sacramentorum* dogmata potiora.

SANCTORUM EC-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
AMMONIUS cognomento *Saccas*; patria Alexandrinus; Philosophus insignis; Origenis, aliorumque clarissimorum virorum Praeceptor.	Natus fertur Commodo imperante.
ORIGENES, *Adamantius* dictus, ob suam in litterarum studiis infatigabilem patientiam; Alexandriae in Ægypto natus.	Obiisse videtur diem extremum LXIX. aetatis suae anno, Christi autem CCLIV.
S. CYPRIANUS, Carthaginensis Civis atque Episcopus; antequam Sacerdotio esset initiatus, Rhetor egregius.	Martyrio coronatus anno Salutis circiter CCLVIII.

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
Harmonia quatuor Evangelistarum : Opus perperam olim Tatiano adscriptum.	
Ex pene innumeris eius Scriptis perpauca supersunt; nempe *Homiliae* vel *Tractatus* sive *Commentarii* in Scripturam; *Periarchon* Libri IV.; De *Recta in Deum Fide* Dialogi tres; *Contra Celsum* Lib. VIII.; *Philocalia ; De Historia Susannae Epitome.*	*Christianae Religionis Veritas ;* complura *Incarnationis* dogmata ; *Canon Scripturarum.*
Variae ad diversos Epistolae ; Liber de *Disciplina et habitu Virginum;* De *Lapsis item* alius; alius *De Unitate Ecclesiae;* alius *de Oratione Dominica;* Liber *ad Demetrium Africae Proconsulem;* Liber De *Idolorum vanitate ;* Liber De *Mortalitate;* Liber De *Opere et Eleemosynis ;* Liber De *Bono patientiae ;* Liber De	Praecipua ad *Trinitatem*, *Incarnationem*, *Sacramenta* , *Locos Theologicos* pertinentia dogmata; nec non *Christianae Religionis Veritas.*

SANCTORUM EC-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
S. DIONYSIUS, *Alexandrinus* Episcopus; Martyr; Origenis discipulus.	Obiit anno Salutis nostrae CCLIX.
S. GREGORIUS, *Thaumaturgus* dictus ob mira, atque egregia, quae faciebat miracula; *Neocaesariensis* autem appellatus, eo quod Neocaesareae in Ponto sit natus; cuius etiam Urbis fuit Episcopus.	Elatus est anno reparatae Salutis CCLXV., XV. Kal. Decembr.

Scripta, quae supersunt	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
Zelo et Livore; Liber De *Exhortatione Martyrii; Testimoniorum Libri tres ad Quirinum; Concilium Carthaginiense.* Sunt praeterea non pauca alia Opuscula, quae partim Cypriani stylum sapiunt certe quidem, at ab ipso conscripta esse non videtur satis exploratum, partim vero abiudicanda omnino ipsi esse apud omnes constat.	
Variae ad varios Epistolae, quarum frusta quaedam extant apud Eusebium.	
Expositio Fidei de SS. Trinitate a Ioanne Evangelista, mediante Dei Genitrice Maria, per revelationem Gregorio Neocaesariensi tradita, quam videsis tum apud Gregorium Nyssenum, tum etiam in ipso exordio V. Oecumenicae Synodi; *Oratio Panegyrica et Charisteria* ad Origenem; *Metaphrasis, sive Translatio*	Praecipua *Trinitatis* dogmata; complura ad *Incarnationem,* et ad *Ecclesiasticam disciplinam* spectantia

SANCTORUM EC-

NOMEN, PATRIA, HONORES.	AETAS.
EUSTATHIUS, genere Pamphylius; Beroeae primum, deinde Antiochiae Antistes; qui primus Catholicornm Arii haeresim detexit insectatusque est.	Mortuus circa annum CCCXXXVII.
EUSEBIUS, *Caesariensis*	Natus anno Salutis no-

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.

in Ecclesiasten ; Sermones tres in Annunciationem B. Virginis Mariae Deiparae ; Sermo de S. Theophania ; Epistola Canonica de Lapsis. Nonnulla alia Scripta non satis tuto ipsi a quibusdam tributa, praetermittimus.

Perplura scripsit, quae maxima ex parte deperdita sunt. Nam suorum *de Anima* Librorum vix quaedam fragmenta supersunt. *Infinitae*, Hieronymo teste, eius Epistolae; *Orationes contra Arianos ; sermones in Psalmos*, et *in Proverbia*, similiter perierunt. Extat eius *Liber de Engastrimytho adversus Origenem*, in Biblioth. PP. T. XXVII. Cave tamen γνησιον putes *Commentarium in Hexaëmeron*, qui ibid. ei falso inscribitur.

Trinitatis dogmata praecipua.

Ex pluribus, quae scripsit, Operi-

Veritas Christia-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
dictus e loco natali, nec non ab Ecclesia, cui praefuit in Palaestina.	strae CCLXIV., denatus circiter anno CCCXL.
S. HILARIUS, *Pictaviensis* appellatus a nomine Patriae suae, cuius etiam fuit Episcopus; Ecclesiae Doctor.	Mortuus idibus Ianuarii, anno Salutis CCCLXIX.

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
bus ad nos usque pervenerunt *De Praeparatione Evangelica* Libri XV.; *De Demonstratione Evangelica* ex Libris XX. tantum X; Libri X. *De Historia Ecclesiastica;* Libri IV. *De Vita Constantini ; Adversus Marcellum Ancyranum* Libri V.; *Chronicon; Martyrum Historiae* Fragmentum, quod graece tantum ab Iriarte iam editum, nos duobus ab hinc lustris latina civitate donavimus; *Quaestiones Evangelicae*, quas Cl. Angelus Maius ex Vaticanis Codicibus nuper in lucem prodire iussit; ac nonnulla alia Opuscula, quae tamen nec omnia γνησια sunt existimanda.	*nae Religionis ; Scripturarum Canon.*
De Trinitate Libri XII.; Liber De *Synodis; Epistola ad Abram filiam; Libri duo ad Constantium ; Liber contra Constantium ;* Liber *contra Auxentium.*	Praecipua ad *Trinitatis* et *Incarnationis* Mysteria pertinentia dogmata.

SANCTORUM EC-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
S. SERAPION, vel Sarapion ut alii malunt; Thmueos in Aegypto Episcopus.	Floruit saeculo IV. fere ad occasum vergente.
LUCIFER, *Calaritanus* Episcopus; perstrenuus Fidei propugnator, ob quam exilium forti animo toleravit, cuiusque tuendae tam ferventi aestuabat ardore, ut ad nimiam asperitatem transgressus, a catholica demum communione recesserit.	Elatus circa annum Reparatae salutis CCCLXXI.
IULIUS MATERNUS FIRMICUS.	Floruit post Constantini Magni tempora.
VICTORINUS, natione Afer; Rhetor Romae praeclarus, ac, ut quidam suspicantur, etiam Senator.	Floruit Constantii Imperatoris aetate.

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
Liber unus *adversus Manichaeos.*	Pleraque ad Tractatum *de Deo* pertinentia.
Libri II. ad *Constantium Imperatorem De Regibus Apostaticis*; Liber 1. *De non conveniendo cum haereticis*; alius *De non parcendo delinquentibus in Deum*; alius item, *Quod moriendum sit pro Filio Dei*; Epistola praeterea ad *Florentium.* His vero adiungi solent tum Epistola quaedam Florentii, tum duae S. Athanasii Epistolae ad Luciferum missae.	Praecipua *Trinitatis*, ac *Incarnationis* dogmata; pleraque etiam ad *Locos Theologicos* pertinentia.
Liber *De mysteriis*, *et erroribus profanarum religionum ad Constantium atque Constantem Augustos.*	*Veritas Christianae Religionis.*
Libri IV. *adversus Arianos De SS. Trinitate*; Libri II. *ad Iustinum Manichaeum contra duo Manichaeorum principia*; Liber *De*	*Trinitatis* Mysterium, ac *Verbi Divinitas.*

SANCTORUM EC-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
S. ATHANASIUS, Alexandriae in Aegypto natus, ac eiusdem Civitatis Episcopus; strenuus ac celeberrimus Fidei contra Arianos adsertor; Doctor Ecclesiae.	Ad laboriosissimae suae villicationis praemium convolavit postridie Kal. Maias, anno Domini CCCLXXI.
S. EPHREMUS, vulgo Ephrem, *Syrus* dictus,	Obiit anno Christi CCCLXXVIII.

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
Generatione Verbi adversus Candidum Arianum; Hymni III. *De Trinitate; Carmen Heroicum De Machabaeis;* alia praeterea profana Scripta, quae ad rem nostram non faciunt. Haec autem ipsa, quae recensuimus, caute admodum legenda sunt; quia Auctor, utpote ad Fidem satis sero conversus, in Rhetoricis potius quam in Theologicis rebus excellebat.	
Orationes plures, ac Epistolae, quibus calumnias tum contra Fidem tum contra seipsum ab Arianis conflatas, invicte profligavit. *Symbolum* autem, quod eius nomine circumfertur, ab ipso concinnatum fuisse, negant omnes meliores Critici.	*Divinitas Verbi;* nec non cetera *Trinitatis*, ac praecipua *Incarnationis* dogmata.
Orationes variae παραινετικαὶ, nec non laudatoriae ab ipso conscriptae	Iesu Christi *Divinitas*, ac *Rea-*

SANCTORUM EC-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
quia Edessae, quae Syriae est Urbs, natus fertur; eremi cultor insignis; et Edessenae Ecclesiae Diaconus.	
TITUS, *Bostrorum* in Arabia Petraea Episcopus.	Mortuus putatur circa annum reparatae Salutis CCCLXXVIII.
S. BASILIUS *Magnus*, natione Ponticus; S. Gregorii Nysseni frater; Doctor Ecclesiae; Caesareae Cappadocum Antistes; *Caesariensis* propterea dictus.	Natus anno Christi CCCXXVIII., obiit annum suae aetatis circiter quinquagesimum agens.

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
extant, quibus virtutem, quam vita sua praedicabat, verbo etiam tum docere, tum laudibus prosequi curavit.	*lis in Eucharistia praesentia.*
Adversus Manichaeos Libri III., cum Argumento etiam Quarti, qui desideratur.	Plura ad Tractatum de *Deo*; nonnulla etiam ad *Gratiam* et ad *Canonem Scripturarum* spectantia.
Homiliae in Hexaëmeron; tum in Psalmos; praeterea de *Variis Argumentis* aliae non paucae; *Adversus Eunomium* Libri V.; *contra Sabellianos, Arianos, et Anomoeos* Liber unus; *De Baptismo* Libri duo; *De Spiritu Sancto ad Amphilochium* Liber unus; *Ascetica Opera* varia; plura *Opera Ethica seu Moralia;* multae praeterea ad varios Epistolae, quas inter praecipue ce-	Praecipua ad *Trinitatem, Incarnationem*, et *Sacramenta* pertinentia dogmata.

SANCTORUM EC-

NOMEN, PATRIA, HONORES.	AETAS.
S. OPTATUS, a *Milevi* sua Patria *Milevitanus* appellatus; in Numidia Africae Regione Praesul.	Mortuus circiter anno Salutis CCCLXXX.
S. PACIANUS, *Barcinonensis* Episcopus; natione Hispanus.	E vivis ereptus anno Christi circiter CCCLXXX.
S. CYRILLUS, *Hierosolymitanus* Praesul.	Obiit anno Christi CCCLXXXVI., XV. Kal. April.

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
lebrantur tres ad *Amphilochium Canonicae* nuncupatae. Liber *De vera Virginitate* an S. Basilii germanus sit foetus nec ne, non immerito ambigitur a Doctis Viris.	
De schismate Donatistarum contra Parmenianum Libri VII.	Complura ad Tractatus de *Ecclesia*, et de *Sacramentis* spectantia dogmata.
Ex variis, quae scripsit, Operibus tria tantum Opuscula ad nos usque permearunt : *Paraenesis* nempe, sive *Exhortatio ad poenitentiam ; Ad Sempronianum contra Novatianos Epistolae tres ; De Baptismo Epistola altera, sive Sermo.*	De *Locis Theologicis*, et de *Sacramentis* dogmata praecipua.
Catecheses ad illuminatos XVIII.; item *Mystagogicae Catecheses* V.; *Epistola ad Constantium Imperatorem de Crucis Apparitione.*	Praecipua ad *Sacramenta*, *Trinitatem*, et *Incarnationem* pertinentia dogmata.

SANCTORUM EC-

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
S. PHILASTRIUS, *Brixiensis* Episcopus.	Decessit anno Salutis CCCLXXXVII. XV. Kal. August.
S. GREGORIUS, *Nazianzenus* a Patria, et ab Ecclesia, cui aliquando, praefuit, dictus; *Theologus* vero κατ' ἐξοχὴν appellatus ob singularem, qua excelluit, Theologiae peritiam; Doctor Ecclesiae; quo praeceptore Scripturas explanare Hieronymus se didicisse profitetur; qui antequam Nazianzenam Ecclesiam regeret, Sasimorum etiam Episcopus fuerat renuntiatus; ac postquam a Nazianzi Cathedra se abdicasset, Constantinopolita-	Decessit postridie Nonas Maias, anno Christi CCCXC.

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
Extat ab ipso conscriptus Liber *De Haeresibus*, qui caute legendus, quum Auctor alicubi ut haereticum temere traducat quod ab erroris labe est alienum.	
Libri Apologetici IV.; *Orationes Funebres* VIII.; *Orationes Theologicae* V. *in Eunomianos; Orationes De Pace* III.; Orationes item aliae de variis argumentis; Epistolae deinde LXXX. ad diversos. Praeter haec autem Scripta prorsa oratione concinnata, versa etiam oratione tam multa edidit Gregorius, ut, Hieronymo auctore, ad 3o millia versuum cecinisse dicatur. Eius tamen carmina maxima ex parte periere.	Praecipua *Trinitatis* dogmata; ac nonnulla ad *Incarnationis* Mysterium pertinentia.

Nomen, Patria, Honores.	Aetas.
nus Praesul a 150 Episcopis ibi contra Macedonium congregatis invitus eligitur.	
PHOEBADIUS, vel Sebadius, sive Fegadius, Aginni in Aquitania Episcopus.	Obiit, ut putatur, circa CCCXCIII, vel CCCXCIV. Salutis nostrae ann.
S. GREGORIUS, *Nyssenus* appellatus a Nyssa Cappadociae Urbe, quam rexit Antistes; Basilii magni frater; Ponticus natione; *Pater Patrum* ab Oecumenica VI. Synodo nuncupatus.	Migravit in Caelum post CCCXCIV. Salutis annum, postridie Non. Mart.

CLESIAE PATRUM

Scripta, quae supersunt.	Dogmata uberius diligentiusque a singulis exculta.
Liber unus *contra Arianos*.	Verbi *Divinitas*
